



N O S O C O M I I
C I V I C I P A Z M A N N I A N I
A N N U S M E D I C U S
T E R T I U S

S I V E


O B S E R V A T I O N U M C I R C A
M O R B O S A C U T O S E T C H R O N I C O S

A B

H E N R I C O I O S E P H O
C O L L I N


M E D I C O V I E N N E N S I E T E J U S D E M N O S O -
C O M I I P H Y S I C O F A C T A R U M .

P A R S P R I M A .




V I N D O B O N Æ,
T Y P I S J O A N N I S T H O M A E D E T R Ä T T N E R .
C A E S . R E G . A V L A R T Y P O G R . E T B I B L I O P .

M D C L X I V .



PRÆFATIO.

 *L*audabili, quod felicibus auspiciis, applaudente unanimi eruditorum conventu, prædecessor meus Antonius Störck: (cujus, non obstante Archiatri munere, frequenti adbuendum præsentia gaudet nostrum nosocomium) inchoavit, satisfacturus instituto, morborum historias, eorumque
cu-

P R Æ F A T I O.

curationes, ea, qua ipse olim fecit, simplicitate, referam.

Quingenti nonaginta & aliquot ægri a mense Julio Anni 1760. ad mensem Julium 1761. acute apud nos decubuerunt, ex quibus quadraginta septem mortui sunt: reliqui autem omnes sanitati restituti fuerunt.

Fuit ergo Acutorum numerus minor, quam annis præcedentibus: remisit nempe Epidemia, quam celeberrimus nosocomii hispanici Physicus Dominus Hasenöhrl in tractatu, quem de illa edidit, Cap. 2. pag. 5. mense Novembri & Decembri Anni 1757. in-
ce-

P R Æ F A T I O.

*cepisse refert, & in epistola dedicato-
ria ejusdem opusculi vix non integro
triennio durasse asserit.*

*Omni mense describendis præcipue
morbis, qui vel maxime graves fuerunt,
vel in nosocomio frequentiores, occu-
patus fui: & ut repetitionibus lectori
tædium non parerem, ubi morbus uno
mense descriptus, aliis etiam mensibus
observatus est, illius historiam omisi:
nisi peculiaribus symptomatis stipatus
diversam exegerit medendi metho-
dum.*

*Quas sequentibus annis circa mor-
bos acutos feci, observationes successive
non*

P R Æ F A T I O.

non longa interposita mora , typis mandabo : adjunctis etiam iis , quæ cum Colchico , Hyosciamo , & Aconito feci , experimentis.

Bonum vero , & publico gratum opus Præstiturum me credidi ; si præcipua , quæ trium , & ultra , annorum tempore cum cicuta institui , experimenta , in hac prima observationum mearum parte communicarem. Curantur enim hac planta multi , qui ante illius usum fere ab omnibus omni arte medica superiores habebantur morbi : curatos vidi , & viderunt mecum plures , scirrhus inveteratos & caneros , quorum curationem ante detectam

P R Æ F A T I O.

cicutæ virtutem periti medici vix unquam sperare ausi sunt. Tale medicamentum desideravit omnis ætas, & forte semel inventum iri speravit Illustrissimus L. B. van Swieten, qui in commentariis ad Aphorism. §. 509. postquam in præcedentibus varia de Scirrbo & cancro disseruit, ac se, & Hildanum fallaci spe in curando cancro delusos fuisse retulit, ait: „ forte „ tamen & inde aliqua spes affulget, „ non penitus impossibilem esse cancri „ separationem a partibus sanis, licet „ hætenus ignoretur, qua methodo, „ quibusve remediis hoc fieri possit. „ Quam felix ille, qui hoc inveniret! „ Quanta pœna dignus, qui inventum celaret, turpis lucri causa. In-

P R Æ F A T I O.

Invēnit Magnificus Störck & generosissime promulgavit egregium illud medicamentum, quo tot miseri jam morti erepti fuerunt, & eripiuntur quotidie: cujusque successum in dies majorem evasurum, omnium proborum medicorum, quibus salus proximi cordi est, blanda spe eriguntur animi: modo plures fuerint qui unita opera omnes suos de cicuta casus (sive ei felices sive infelices fuerint) fideliter adnotarint, diversitatemque symptomatum ejusdem morbi in diversis subjectis, ut & exinde pendentium medicamenti effectuum, curationumque differentias inter se attento animo contulerint, ut ex his omnibus evidens conclusio deduci possit.

P R Æ F A T I O.


possit, & demum clarius patefcatur: cur cicutam morbos omnibus aliis medicamentis pertinaciter resistentes in plerisque subiectis celcritur & facile curet, quos in aliis tam lente aliquando aggreditur, ut medicus in exhibendo & æger in assumendo suam patientiam ferme amittant? cur demum in quibusdam mutet prorsus nihil, licet diu & magna dosi sumatur? ex horum vera & exacta cognitione in firmum & debitum redigetur ordinem res cicutaria: voveo speroque fore, ut omnes boni medici salutari huic operi suum laborem, suamque industriam non denegent. Interim contingit aliquando, ut ab externo cicutæ usu juventur ægri, qui diu cicutam

si.

P R Æ F A T I O.

sine ullo effectu assumpserunt: sic Cl. ac celeb. Hoffmannus Professor Eisenfurtensis solo cicutæ balneo sanavit plures, quibus internus hujus remedii usus non profuerat, Idem & nos in nostro nosocomio confirmatum vidimus pluribus experimentis. studio nempe, & indefesso labore acquirit ars incrementum & salus ægrotantium promovetur.





DE
MORBIS ACUTIS.
MENSIS JULIUS.



Qui febre acuta simplici decubuere ,
facile morbum superarunt ;
pulsus habebant febrilem sat
æqualem , respirationem na-
turali paulo celeriore , non dolentem , si-
tis sat magnam , & levia alimenta libenter
assumebant ; alvus liquida jam ab initio
morbi bis ter de die deponatur , sine
virium labefactione ; urina naturali colo-
rator , in aliquibus nubeculam in fundo
gerebat , in aliis nullam , cutis erat sicca ,

lingua albescens ; somnus paucus , & fere omnes capite dolebant.

His ægris , si tres excipias , quibus pulsus nimis plenus & fortis deprehendebatur , vena non secta fuit.

Medicamenta emollientia , aperientia , qualia sunt decoctum N. 1. & Emulf. N. 2. cum lenioribus pægoricis , vesperi ad somnum faciliorem conciliandum exhibitis , toto morbi tempore suffecere : his enim brevi cutis mollescebat , & leniebatur capitis dolor , nec de alvo sistenda cogitavi , cum ægri inde mali nihil paterentur.

Circa septimum morbi diem alvus mutabatur in pultaceam , flavam , criticam , morbum tollentem , vel omnino filebat oborto copioso sudore , multum levante , vel morbum penitus tollente : raro post talem sudorem ultra triduum duravit morbus. Talis sudor etiam in iis , quibus septimo die febris cessavit , 8. & 9. die sæpius e-
rum-

rumpebat : urina futuram crifin non denotavit , immutata enim manfit toto morbi tempore , donec præfente evacuatione critica in aliquibus fedimentum fat copiofum ; album , leve deponeret , & fequenti die omni nota naturalis deprehendebatur .

Finito morbo ægros alimentis levibus refeci , donec viribus ita pollerent , ut facile extra lectum manere , & in cubiculo deambulare poffent , ac tunc Rhei Elect. dr. i. affumpta carnes conceffi , & brevi integras vires recuperarunt .

Binæ fœminæ hoc mense in nofocomio Exanthematibus laborarunt .

Prima ex his puella erat fedecim annorum , menftruo fluxu necdum gavifa ; hæc jam initio Junii anafarca laborans de doloribus ventriculi , appetitu deleto & alvo immorigera conquerens ad Nofocomium noftrum delata fuerat . Datis per menfem remediis , in tali cafu indicatis , anafarca

disparuerat; respiratio libera erat, ac ita appetebat, ut cibus ipsi concessis non contenta furtim ab amica acceptis cibus duræ digestionis avide vesceretur tertia Julii; quo factò eadem die lassitudine correpta est, anxiosa fuit, valde sitivit, ac sequenti die multum febricitabat, & de magna oris amaritudine conquerebatur: pulsus nec durus, nec nimis plenus erat.

Scr. 1. Ipecacuanhæ assumpsit ægra, unde multa indigesta rejecit tanto cum levamine, ut anxietas fere penitus disparuerit; ac tum quoque pacatum somnum, quo nocte præcedenti caruerat, habuit.

Copiosum decoctum factum ex hordeo crudo. Rad. Bardan. & Acetos. cum oxym. simpl. sumendum & mixturam ex Rob. Sambuci cum sale polychr. exhibui, nocte sequenti inquiete dormivit. Tertio morbi die febris aucta erat; copioso sudore mædebat; urina erat rubra sine nubecula.

la , diarrhœa foetidissima ægram pessundabat, ac nonnisi precibus victa jusculum assumebat. Ipsi tunc clarctum N. 8. & Decoct. N. 6. alternis horis data sunt, ac Decoctum supra dictum copiose hausit: præterea ter Nychthemeri spatio Syr. Dia. cod. unc. I. exhibui, quo etiam diarrhœa ita compeſcebatur, ut per diem & noctem tantum bis vel ter purgaretur.

Manſit tamen in eodem fere ſtatu ægra ad quintum morbi diem uſque, quo cum ſudore magno eruperunt petechiæ purpureæ cum virium dejectione majori & reſpiratione magis laborioſa, pulſu debiliſſimo, inæquali; acceſſit delirium, ac licet lingua nigra, arida foret, non ſitiebat; alvus foetidiffima, inſcia ægra, effluebat in lectum.

Acria epiſpaſtica tunc pedibus applicata ſunt, & loco clareti mixt. N. 18. & mixt. cum Extract. Cort. peruv. uſa eſt. Verum hæc nullum levamen attulerunt, &

sexto die Petechiis liventibus subito admodum mortua est.

Altera fœmina sexto morbi die ad Nofocomium delata fuerat, postquam sanguis binis venæ sectionibus ita copiose eductus fuerat, ut Alexipharmacis postea ob nimiam debilitatem refocillari debuerit, pulsus enim valde debilis, parvus, inæqualis, respiratio brevis, celeris, delirium continuum, lingua sicca, sitis sat magna aderant, licet enim potum non peteret, oblatum avidissime hauriebat; alvus in lectum fœtidiissima dimittebatur, urina paucissima, fusca cum Enæoremate spisso, suspenso reddebatur, cutis humescebat.

Illico quatuor vesicantia suris & brachiis applicata sunt, ac Emulsum N. 17. & mixt. N. 14. ipsi alternatim sumenda præscripsi, commendavique ut ipsi copiosus potus propinaretur.

Sequenti die prodire miliaria copiosissima, optime elevata, urina copiosior mittebatur cum Enæoremate fundum petente, copioso, filamentis intermixto, alvus quoque bis eo die prodiit, verum nec pulsus nec respiratio inde emendata fuerunt, imo delirium increfcebat cum integra virium prostratione, & soporosa evadebat.

Vesicans tunc Nuchæ applicatum fuit, sed incassum: nam octavo morbi die convulsa periit.

MENSIS AUGUSTUS.

Hoc mense multi homines morbis acutis inflammatoriis decubuere.

Plerumque prægressis lassitudine spontanea inappetentia, horripilatione oriebatur febris, calor, insomnia, ficitas linguæ & cutis, fitis magna, alvus semel vel bis de die exonerabatur fœtida, non levans, uri-

na erat rubra sine Enæoremate, oculi turbidi, flavescentes, ac eodem die vel sequenti dolor acutus, pleuriticus in parte lateris dextra vel sinistra oriebatur, cum tussi molesta, sicca; pulsus fiebat celerior, durus, respiratio densa, parva.

Venæ sectio ad Lib. i. facta, licet simul decoctum N. i. cum nitro & Diacodio copiose exhibitum sit, ac cataplasma ex emollientibus loco dolenti applicatum, symptomata non levavit; hinc eadem die vespere eadem sanguinis quantitas vena educebatur: unde levati sunt ægri quoad dolorem febremque, & respiratio facilior, tussisque minus frequens facta est: nox tamen inquieta fuit, & in binis recruderunt symptomata omnia, quæ facta tertia venæ sectione iterum leniora reddebantur.

Ægri continuarunt iisdem medicamentis uti, & vespere Syr. Diacod. unc. i. cum Laud. liq. Gtt. IV. sumpserunt.

Nox

Nox fuit pacatior, per plures horas dormierunt, ac tertio morbi die alvus liquida emanferat; urina rubra in aliquibus nubeculam in fundo gerebat, fitis eadem, respiratio licet adhucdum laboriofa, pleniori pectore peragebatur, pulsus erat liberior, minus durus, oculi minus turbidi.

Nihil in methodo medendi mutatum est, ægrique ad diem morbi quintum fere in eodem ftatu permanferunt præterquam quod aliqui alvum levantem egefferint: illis autem, quibus alvus fponte non ceffit, fi vel abdomen tenfum effet; vel doleret, enemate injecto femel vel bis cum levamine movebatur.

Quinto die plures, prægreffo magno cutis pruritu sudore copiofo per totum corpus æquali per tres vel quatuor horas maduerunt, sub quo dolor lateris penitus evanuit, & tuffis ferme integre filuit; lingua humida facta est, ac pulsus liber & plenior.

Hi ægri decocto N. i. nitrato uti perrexerunt, ac sponte sine paregorico tranquillās noctes habuerunt: alvus hoc die & præcedente semel vel bis deposita est cum levamine.

Septimo die iterum sudarunt, pluries alvum pultaceam flavam habuerunt, & octavo die nullum febris indicium aderat. Unicus fuit æger, in quo febris ad diem undecimum protracta est: continuavit tamen eodem medicamento uti, & die undecimo sine ulteriori evacuatione sensibili febris desit.

Brevi vires recuperarunt, ac præter dr. i. Rhei, quam post aliquot dies a sublata febre assumerunt, nullo medicamento amplius indiguere.

Tres vero qui quinto morbi die non sudarunt, sexto die difficilius spirarunt, pulsus celerior, inæqualis, durior evasit, & tussis præ doloris vehementia fere supprimebatur: deglutitio difficilior erat, fitis major & lingua ficca, alba. Accedebat quoque magnus capitis dolor;

hinc

hinc post meridiem illis sanguis ex pede ad unc. VIII. eductus est, qui brevi crusta phlogistica tegebatur.

Cum dolor & reliqua symptomata vespere nondum remitterent, ac ægri valde debiles essent, nec ultra ideo venam secare aude-rem, latum Vesicans dolenti plagæ applicatum est, ac omnibus Syr. Diacod. unc. i. cum laud. liq. fyd. gtt. jv. exhibebatur.

Mane circa 8. accedens binos inveni cum parvo admodum lateris dolore, respiratio erat facilior, pulsus magis plenus, liber, & tussi paucum gluten ejiciebant, difficile tamen ob tenacitatem expectorabant: urina subfusca nubeculam in fundo gerebat & cutis mollis, perspirans deprehendebatur.

His præter decoctum N. 1. dabatur pulvis N. 15 quater de die fumendus.

Vespere dum auferebantur Vesicantia, dolor lateris penitus desierat, & noctem sine paregorico quiete transegerunt.

Ma-

Matutino tempore septimi diei, unus semel, alter vero bis alvum pultaceam habuit cum levamine, cutis humida erat, lingua quoque incipiebat humescere; sputa copiosiora prodibant, semper glutinosa, & urina fere naturalis erat: febris erat adhuc sat valida, pulsus tamen liber, æqualis & respiratio non multum impedita; hinc in medicamentis nil mutatum est.

Hoc modo ægri perrexerunt sensim se melius habere, ac undecimo die morbi ab omni febre liberi erant. Continuarunt tamen uti pulvere expectorante usque ad diem decimum quartum, quo & expectoratio & tussis desierunt.

Hi ægri sat brevi vires recuperarunt.

Tertius vero a vesicante nullum levamen habuit, & septimo morbi die inter magnas angustias fato cessit, cum per 12. horas de nullo dolore signum dedisset. In cadavere inventa est pars pleuræ in dextro thorace,

ubi

ubi perceptus fuerat dolor, ad imperialis fere magnitudinem gangrænosa, pulmo quoque ejusdem lateris hinc inde filamentis pleuræ accreverat fanguine infarctus.

Fuere etiam plures pleuratici, qui statim primo vel secundo die sputa mucosa ejecerunt.

Eadem tamen medendi methodus adhibita fuit, cum hac differentia, quod tam copiosa sanguinis extractione non indiguerint.

Plerumque enim post primam venæ sectionem symptomata ita lenia facta sunt, ut in detrimentum ægri secunda administrata fuisset.

Vidi enim sæpius, dum per solas venæ sectiones integra doloris ablatio (id quod eo modo sæpe fieri nequit) tentatur, ægros ita debilitari, ut morbo succumbant, vel saltem nonnisi difficillime evadant.

Hinc dum dolorem post V. S. ita vidi minutum, ut respirationem parum læderet, & ægri sine magno dolore tussirent, ac sputa
ejice-

ejicerent, de ulteriori M. S. non cogitavi.

Quando pulsus liberior & æqualior deprehendebatur, licet adhuc duriusculus esset, copioso potu & medicamentis emollientibus, aperitivis, antiphlogisticis facile dolor superabatur, externe simul applicatis cataplasmatibus emollientibus.

Sæpius sic post 12. vel 24. horas dolor desit, ac pulsus sensim mollitiem naturalem acquisivit.

Si accidit, ut dolor lenitus, vel jam sedatus recrudesceret, repetita venæ sectio juvabat.

In omnibus his ægris circa quintum vel septimum diem sputa cocta prodierunt, quorum ejectio dum difficilior erat & vires sufficiebant pulvere N. 15. simul cum decocto N. 1. alternatim sumpto juvabatur: si vero debiliores erant ægri, & nullam in pulsu durtiem habebant, præter pulverem N. 15. dedi Claretum, quod maxime conducebat illis, qui os amariusculum habebant.

Solis sputis nullus curatus est , omnes enim circa septimum & nonum diem morbi alvum criticam pluries deposuerunt, qua tussis multo rarior fiebat.

Undecimo morbi die omnes & a febre & a tussi liberi erant , ac brevi vires recuperarunt.

Unicus ex his ægris habuit die septimo & octavo urinas cum sedimento albo, levi, sat copioso: reliqui habuerunt urinas initio rubras, sub finem morbi naturales, ac fere semper nebula in fundo conspiciebatur.

His, qui circa vespertas tussi frequentissima defatigabantur, nec somnum capere poterant, profuit unc. 1. Syr. Diacod. cui sæpius aliquot gtt. Laudan. liq. Syd. addebantur: raro per diem indigebant paregoricis.

Puellam 25. annorum die pleuritidis quinto pro ratione morbi sat bene habentem invisit Mater, & triste nuncium illi attulit, unde morbi facies ita mutata est, ut sexto die febris

bris esset valde aucta, dolor acutus lateris continuus, tussis frequens, difficilis, ficca, cutis ficca; urina erat aquosa, alvoque per 30. horas caruerat, ægra quoque continuo delirans subinde lachrymabatur & noctem egerat infomnem.

Vena sanguis mittebatur ad unc. VIII. brevi crusta tenui phlogistica tectus, ac Ene-
ma emolliens injiciebatur, & præter decoctum N. I. cum nitri dr. j β , ter eo die unc. j Syr. Diacod. assumpsit, unde sensim dolor & reliqua symptomata remiserunt, & noctem pacatam habuit. Mane erat animi compos, pulsus liber & major deprehendebatur, atque penitus desierat lateris dolor. Tussi aliquid mucosi ejiciebat, cutis erat mollis, humescens ac urina subrubra nubeculam fundum petentem gerebat.

Hunc diem ut & octavum sine mutatione transegit, & noctu somno plurium horarum sine paregorico refecta est, alvus quoque omni die adfuit levans. No-

Nono die ante meridiem respiratio facta est difficilior, ac sub tussi stertor in pectore audiebatur, sputa pauca admodum glutinosa ejiciebantur; pulsus erat inæqualis, mollis, debilis; lingua alba, humida tamen, oculi tristes, humidi: leniter sudabat, ac urina sedimentum copiosum mucosum deposuerat.

Applicata sunt furis bina vesicantia, ac cum priori decocto pulv. N. 15. usa est.

Noctu multum sudavit; parum dormivit, ac mane dum accessi, inveni totum collum, & pectus præcipue circa scrobiculum cordis miliaribus albis obsitum, sputa facilius prodibant, respiratio libera pleno thorace peragebatur; pulsus erat plenior, æqualior, oculi vividiores: post meridiem ultra bihorium tranquille dormivit.

Nox sat tranquilla fuit.

Undecimo die prostantibus pulcherrime miliaribus sputum paucum coctum facile ejecit ægra, ac alvum bis deposuit pultaceam, coctam.

Duodecimo die tussis rara erat, sputa pauca, respiratio bona; febris vix animadvertetur; miliaria opacabantur, ægra facile sola in lecto sedebat; & decimo quinto morbi die desquamatis miliaribus nihil de morbo supererat, ac rogabat ægra, ut ipsi liceret extra lectum manere. Vigesima sexta ab initio morbi die ex Nosocomio sanissima discessit.

Qui febre acuta simplici laborarunt methodo mense præcedenti dicta facile curati sunt.

Binæ vero aliæ fœminæ morbo exanthematico laborarunt.

Prima in morbum inciderat post comestam copiosam carnem suillam sale dudum conditam & exsiccatam. Eadem enim die anxia facta fuit, frequenti horripilatione correpta est, corpus grave factum, & præ calore vix noctu in lecto jacere potuit, sequenti die accessit capitis dolor, oris amaror, nausea.

Accersitus Medicus ilico sanguinis missionem iussit, & emeticum, quo se multum levatam fuisse ægra assererat, præscripsit.

Pro medicamento usa est speciebus Decocti pectoralis & pulvere antispasmodico, donec 6. morbi die ad nostrum Nosocomium deferretur.

Dum ipsam primo vidi, respiratio erat celeris, brevis, pulsus celer, inæqualis, sat magnus, alvo a biduo carebat, appetitus erat nullus, & sitis magna, urina prodibat fuscescens cum Enæoremate copioso, suspenso, oculi erant tristes, & ægra soporosa vix per aliquot momenta se erectam in lecto sustinere poterat.

Data est ipsi mixtura N. 12., ac commendavi ut copiose potaret. Enema quoque injectum multa scybala dura eduxit.

Nox inquieta fuit.

Septimo morbi die minus soporosa erat, alvus liquida, flava sponte prodiit; urina subrubra nubeculam in fundo gerebat, respi-

ratio profundior erat. Cæterum reliqua in eodem statu permanebant ac die præcedenti.

Noctu sat pacate variis intervallis per plures horas dormivit.

Octavus dies fere similis fuit septimo, ac nihil in medicamentis mutatum est. Cum tamen abdomen tensum esset, & alvus emaneret, circa vesperras enema injectum multis flatibus viam aperuit, & alvum bis movit semicoctam.

Nox fuit minus tranquilla.

Nono die circa septimam matutinam valde anxia facta est; pulsus evasit parvus, mollis, subinde intermittens; sudabat, urina erat subfusca cum Enæoremate crasso, subfusco: facies livescebat: oculi turbidi & tristes erant: ægra delirabat, difficilis erat linguæ usus.

Bina furis vesicantia & unum Nuchæ applicata sunt, ac loco mixt. N. 12. Emulso N. 17. usa est, simul copiosus potus ipsi propinabatur.

Circa quintam pomeridianam videbatur respiratio paulo facilior, pulsus erat major, linguæ usus non tam difficilis.

Noctu

Noctu tamen, licet ultra unc. j Syr. Diacod. vespere sumperit, parum admodum dormivit, ac circa quintam matutinam omnia iterum in pejus ruerunt. Dum vero circa octavam accessi, ægram melius spirantem inveni ac die præcedenti, pulsus quoque major erat, & vesicantia optime operata erant. Ægra sat apte ad interrogata respondebat, magnamque sitim, licet crusta linguam tegens humesceret, conquerebatur.

Dedi simul cum emulso mixt. N. 14. ut uno bihorio unc. j β ex hac fumeret, & altero bihorio solitam dosin emulsi.

Dies infomnis transactus est, noctu quoque parum dormivit, leni sudore maduit, ac alvum semel deposuit.

Undecimo die mane, inveni copiosa miliaria alba, collum & pectus obsidentia multaque hinc inde per abdomen dispersa, ægre mente sibi constabat, respiratio pleniore pectore ac minus celeriter peragebatur, pulsus

erat æqualis, major, facies & oculi colore magis naturales.

Repetita est mixt. N. 14. & Emulso claratum N. 8. substitui.

Ab hac die omnia sensim ita in melius mutata sunt, ut decima quarta morbi die, dum miliaria jam inciperent desquamari, pulsus naturalis esset, respiratio liberrima, appetitus bonus, alvus & urina naturales, & ægra fat diu in lecto federe posset.

Continuavit tamen iisdem medicamentis uti ad diem morbi decimum septimum, quo vires ita increverant, ut posset extra lectum manere, rogaveritque ut major ipsi ciborum copia concederetur.

Post diem morbi vigesimum assumpta prius Rhei. dr. j carnes licuit concedere, ac die vigesimo sexto recusavit diutius inter ægros commorari.

Altera, quæ exanthematibus affecta fuit, scæmina erat 30. annorum, quæ licet sanguinei

nei temperamenti esset, fluxum tamen sanguinis menstrui parcissimum semper habuerat. Hæc postquam per plures dies membra lassâ vix trahere potuisset, 5. Augusti valde nauseavit, ac demum pluries sponte vomuit, & incepit febricitare: die hujus mensis 6. ad Nosocomium delata est.

Pulsus erat plenus, mollis, celer, respiratio paulo celerior naturali; tempora ipsi admodum dolorifica erant; lingua crusta alba humida obducebatur; oris magnus amaror; nausæ continuæ & præcordiorum anxietas ægram valde torquebant: cutis erat mollis, & urina rubedine paulisper naturalem excedebat; instituebatur venæ sectio, & data circa meridiem ypecacuanhæ dr. β quater vomitum excitavit, quo multa, glutinosa, fœtida, ejecta sunt magno cum præcordiorum levamine.

Pro Medicamento habuit mixt. N. 19. ac vespere assumpta unc. j Syr. Diacod. noctem sat tranquillam egit. B 4 Se-

Sequenti die nihil mutatum inveni.

Quarto morbi die febris eadem erat, & licet respiratio vix impedita videretur, conquerebatur circa præcordia anxietatem & pondus, ac subinde tufficula ficca vexabatur: cutis manebat mollis; oris amaror disparuerat, lingua ficca erat, alvum sponte liquidam deposuerat; in urina nulla mutatio facta erat.

Dedi tunc pro Medicamento Decoctum N. I., Noctu non dormivit.

Quinto die pulsus celeritas aucta est, reliqua vero eadem permanebant, subinde per diem levem somnum habuit, quem nox fat tranquilla secuta est.

Sequentibus diebus ad 13^{ti}am morbi diem usque omnia in eodem fere statu permanferunt, nec tamen multum debilitari videbatur.

Verum decimo tertio morbi die obtusum in artubus dolorem conqueſta est; capitis dolor auctus erat, & pulsus subinde inæqualis, respiratio minus profunda peragebatur, tuffis
ficca

ficca ipsam sæpius invadebat, fitis major erat, ac lingua tenui crusta, flava tegebatur, alvus omni die liquida aderat, urina rubra, cruda, & cutis ficca erant.

Decocto N. 1. Emulf. N. 17. substitui, & Syr. Diacod. cochleare omni 4horio sumpsit, noctem tamen insomnem transegit.

Decimo quarto morbi die respiratio parva, celeris, anxiosa erat, & pulsus debilis, inæqualis, facies & oculi tristitiam exprimebant; ægra delirabat, urina fere naturalis erat, cutis mollis, lingua vero ficca.

Suris applicata sunt bina vesicantia, & noctu ultra bihorium dormivit.

Sequenti die mane pulsus magis elevatus, æqualior fuit, respiratio minus laboriosa.

Post meridiem aliquantulum sudavit, ægra inquieta fuit, noctem in sudore moderato transegit, & 16. morbi dies fere eodem modo transacta fuit.

Decima septima morbi die hinc inde miliares pustulæ in collo & pectore conspiciantur. Tussicula minus frequens erat, alvum semel deposuerat semicoctam, & urina nubeculam fundum petentem gerebat.

Pluries per diem sat pacate dormivit, noctemque sat quietam habuit.

Decimo octavo morbi die copiosis miliaribus parvis scatebant collum, pectus & brachia; pulsus erat æqualis, minus celer; respiratio libera; tussis nulla; anxietas disparuerat & delirium; lingua humescebat.

Emulso N. 17. Claretum N. 8. substitui, quo usa est ægra usque ad diem morbi vigesimum tertium, quo & Exanthemata disparuerunt & omnia ad statum naturalem redierunt: brevi vires recuperavit, & sanissima ad suos rediit undecima Septembris

MENSIS SEPTEMBRIS.

Qui hoc mense acute decubuerunt, fere omnes febre continua remittente laborarunt.

Antequam febricitare inciperent per plures dies prostrato appetitu, & virium debilitatione affecti fuerunt: Sæpius frigebant: succedenti calori adjungebatur anxietas, sitis magna, oris amaror, nausea; capite dolabant, & brevi, in aliquibus accedebat delirium; urina erat valde rubra sine Enæoremate.

Secundo die febris erat lenior, & reliqua symptomata leviora.

Tertio die sine percepta refrigeratione febris exacerbabatur; Quarto die cum leni sudore, non diu durante, iterum remissura.

His ægris, si statim ab initio non sumpserunt vomitorium secundo vel tertio morbi die

die alvus torminosa, fœtida, quater, quin-
quiesve Nychthemeri spatio accidit, illos mul-
tum debilitans: quibus vero Emeticum statim
primo die datum est, hoc symptomate libe-
ri manserunt.

Hinc cura Emetico erat incipienda: dum
tamen alvi fluxus iam aderat, nihil amplius
proderat, imo alvus frequentior, & dolores
majores in abdomine inde excitabantur.

Unico ex his ægris, qui pulsus valde
plenum habebat, & feroci delirio afficieba-
tur, vena secta fuit; non autem reliquis cum
pulsus nec durus, nec nimis plenum habe-
rent.

Illis, qui alvo fluxa debilitante non la-
borarunt, optime profuit Rob. N. 4. Il-
lo enim remanens post vomitum oris amaror,
& nausea, plerumque intra 24. horas dispa-
ruit, & sitis moderatior facta est. More ta-
men nobis in acutis solito copiose potare de-
buerunt.

Hoc

Hoc medicamento usi sunt ad diem morbi quintum, donec tertia exacerbatio remitteret: fere quotidie alvum deposuerunt liquidam, semicoctam; urina vero cruda mansit: omni die aliquoties somno unius, vel alterius horæ refecti sunt ægri, & excepto exacerbationis tempore, quo difficilius spirabant, & anxii erant, pectus fat liberum mansit.

Defervescente tertia exacerbatione quibusdam mixt. c. Spir. Sulphuris, aliis tantum claret. N. 9. exhibui.

Suasum enim Perill. ac Magnifici Domini Störck in febribus tertianis hanc mixturam.

℞. Aq. Flor. Rhæad. unc. ij.

Spir. Sulph. percamp. dr. β.

Syr. Diacod. dr. vj.

ægris febris tertiana nullo alio symptomate stipata laborantibus aliquot horas ante futurum paroxysmum exhibueram uno haustu sumendam, ac plures hoc medicamento a febre liberati sunt. Aliquando binæ doses sus-

fece-

fecerunt ad febrim penitus tollendam: quandoque etiam tertia dosis necessaria fuit.

Hac observatione ductus in hac febre continua remittente, cujus exacerbationes typum tertianæ servabant, cum nec magnæ obstructions in corpore esse viderentur, experiri volui, quid Spiritus Sulphuris per camp. efficeret.

Inde factum est, ut exacerbatio die septima contingens in plerisque lenior quoad omnia symptomata fuerit. Bini vero tussi sat molesta in paroxysmo affecti sunt. Verum omisso Spir. sulph. Decoct. N. 1. sumpserunt, unde tussis brevi sedabatur.

Quinta autem exacerbatio hos binos ita debilitavit, ut metus fuerit, ne alia accedens illos occideret: hinc præter Decoctum N. 1. mixt. N. 14 ipsis exhibita fuit, qua sequens paroxysmus multum lenitus, postea non amplius redivit.

Finita ergo sexta exacerbatione, quæ die 11 contigit, morbus erat febris acuta simplex, quam ægri facile ferebant: Cæterum in excretis nullum signum crifeos apparebat: cutis tamen mollis erat, diutius dormiebant, & libero pectore respiratio peragebatur: pulsus erat mollis, sat æqualis, nec debilis.

Continuarunt ægri mixt. N. 14. uti ad diem 14. usque, in eodem fere statu permanentes.

Decimo quarto morbi die ambo copiose per plures horas sudarunt, unde unus perfecte apyretos factus est, alter vero multo minus febricitavit, & simul urinam misit, quæ brevi sedimentum album, copiosum, leve deposuit.

Loco mixt. N. 14. sola mixt. N. 12. usus est: appetebat; nulla fitis aderat; optime dormiebat; & circa 17. morbi diem oborto leni sudore, depositaque pluries alvo copiosa cocta integre iudicatus est.

Qui

Qui Spir. Sulph. ferre potuerunt, leviores paroxysmos experti sunt. Sed quia ob recurrentes exacerbationes sensim debiliores fiebant, mixt. N. 14. illis exhibui, quæ sequentem paroxysmum omnino præcavit.

Circa duodecimum morbi diem, ut & 13. sæpius sudarunt ægri cum levamine tanto, ut 14. pulsus tantum paulo majori celeritate peccaret. Quoad reliqua symptomata bene habuerunt ægri, & 15. morbi die nullum febris indicium adfuit.

Omnes hi ægri sat cito vires recuperarunt.

Qui omisso in initio morbi Emetico ad Nofocomium deferebantur, jam alvo foetida, frequenti, torminosa laborantes majus negotium nobis facefferunt.

Unus tertio morbi die hoc modo affectus allatus, alii vero duo die quarto: verum omnes iisdem fere symptomatibus afficiebantur.

Respiratio erat celeris, pulsus celer, inæqualis; vires debiles; continuo delirabant;

vix per horæ quadrantem dormire poterant, licet in fomnum propenderent : visus erat debilis, lingua nigra, sicca; fitis infatiabilis, & appetitus omnino prostratus; Cutis sicca, aspera

Dedi illis Clar. N. 8. cui addebatur mucilag. Gum. trag. dr. iij. & Emulsum N. 5. alternis vicibus sumenda, ac simul bis de die Enema ex solo oleo lini injectum est.

Hac methodo ille, qui tertio morbi die advenerat, intra 24. horas a diarrhœa liberatus fuit. Ast accedentem die 5. exacerbationem valde difficulter tulit. Videbatur enim omni momento suffocandus, & pulsus inæqualis sæpe intermittebat.

Alii duo, quibus diarrhœa integre nondum potuerat sisti, præterquam quod pessimam respirationem, & pulsum valde malum haberent, simul subsultibus tendinum adfiebantur.

Omnibus veficantia ad furas applicata funt, ac pro medicamento data eft binis ultimis mixt. N. 14. cui laudan. liq. fyd. gtt. xxx. addebantur, & Emulfum N. 17. alternis vicibus omni fefqui hora fumenda, alter vero fola mixt. N. 14. ufus eft.

Exacerbatio ultra 8. horas in fuo vigore permanfit, antequam remitteret, & ægri parum admodum noctu dormierunt : nullus tamen noctu amplius purgatus eft.

Sexto die morbi ablata funt veficantia, quæ in omnibus optime operata erant; bini minus delirabant, refpirationem majorem, & liberiore habebant, pulfus major erat, non intermittens, ac affatim decoct. hordei hauriebant, & unus illorum, qui antea tempore paroxyfmi tendinum fubfultibus vexatus fuerat, ab his quoque liber deprehendebatur, cutis tamen manebat in omnibus ficca, & in urina fubfufca Enæorema ejusdem coloris difperfum erat.

Tertius sublimè spirabat, pulsum debilem, parvum, inæqualem habebat, urinam in lectum dimittebat, & omnino sui ignarus potum, & medicamenta, quæ ipsi ingerebantur, vix deglutiebat, ac manus continuo tremore agitabantur.

Huic terna vesicantia unum ad nucham, altera ad brachia applicata sunt, omissum est Laudanum, quod mixt. N. 14. ob alvum symptomaticam additum erat.

Sub vesperam pulsus paulo major, & fortior factus est, ac ultra horam dormivit, multo melius spirans, subsultu tamen tendinum etiam in somno afficiebatur. Noctu alvum adhuc in lectum dimisit, & aliquoties per breve temporis spatium somno captus est.

Septimo morbi die potum, & medicamenta melius assumebat, respiratio paulo profundior peragebatur, & pulsus erat major, minus inæqualis, vesicantia in magnas bullas cutim elevarant fero plenas.

In eodem statu fere toto die permanfit æger, donec vespere inceperit tumere parotis dextra; nox valde mala fuit.

Sequenti die mane dum accessi, æger nec minimum deglutire poterat, inspectæ fauces, imo ipsa lingua, tumidæ admodum erant, livescabant.

Parotis ad pugni magnitudinem elevata, erat, oculi lachrymosi, respiratio sublimis, celeris, & pulsus frequenter intermittens, ac æger supine jacebat immobilis, factæ sunt injectiones ex antisepticis, abstergentibus in fauces, cataplasma emolliens parotidi applicatum est, ac circum collum Emplastrum vesicans.

Ob magnam debilitatem Enemata purgantia dare non ausi sumus, Enema tamen emolliens injectum est, quo bis alvum habuit; verum nihil juvit, & circa meridiem suffocatus periit.

Alii duo noctem sexti diei ad septimum fat bene transegerunt, per plures enim horas placide dormierunt, & mane aberat delirium, pulsus videbatur minus debilis, respiratio erat fat libera, lingua humescebat, & cutis minus aspera deprehendebatur, ambo alvum deposuerunt fuscescentem; pultaceam.

Unus circa decimam matutinam, alter post meridiem incepit pejus habere, lene delirium iterum accessit, respiratio evasit laboriosior, & pulsus debilis, celerior, per vices intermittebat: hæc autem per tres, vel quatuor horas tantum durarunt, quibus elapsis ægri in somnum brevem inciderunt, & toto corpore ultra horam leniter sudarunt, unde se quoad omnia levatos perceperunt, & noctu quoque per intervalla dormierunt.

Die octavo pulsus adhuc celer erat, verum nulla intermissio, & vix aliqua inæqualitas in illo percipi poterat, respiratio libera erat, & urina naturalem imitabatur, cutis

continuo humefœbat. Nulla amplius exacerbatio accessit, sed sudore sensim magis levati sunt ægri, alvum quotidie coctam dimiserunt, levia alimenta libenter assumebant, fitis non erat magna, ac sæpius diu, noctuque somno reficiebantur.

Decimo quarto morbi die penitus desit febris.

Erant autem valde emaciati, & vires adhuc tam parvæ erant, ut se soli extra lectum sustinere nequirent. Hinc præter juscula, & alia levia alimenta uterque lactis lib. j β cum anatica D. coct. Hord. quantitate quotidie hauriendam acceperunt, ac cort. Peruv. unc. β omni die continuarunt ad diem morbi 24. assumere. Tunc, cum in cubiculo facile deambularent Rhei dr. j assumerunt, unde aliquoties purgati carnibus tenerioribus vesci potuerunt, & brevi post ex Nosocomio discessere.

MENSIS OCTOBRIS.

Multi quoque hoc mense febre continua remittente laborarunt, quidam omni die exacerbationes patiebantur, alii vero omni altero die.

Quidam etiam ante augmentum caloris perfrigerabantur, alii minime.

Qui quotidianas exacerbationes habebant, tussi sicca, non frequenti, respiratione celeri, difficili afficiebantur, pulsus erat celer, subdurus, lingua arida, sitis magna, appetitus nullus, cutis sicca.

Sub exacerbatione, quæ plerumque per 5, vel 6. horas durabat, fiebant anxii, tussis sicca valde frequens erat, & defatigans, & de dolore in variis pectoris partibus conquerebantur, caput illis valde dolebat, facies rubore tingebatur, & oculi flavescebant; pulsus celeritatem, & duritiem majorem habebat,

& illi, quibus ante exacerbationem sanguis non fuerat eductus, tempore paroxyfmi delirabant.

Hinc fere omnibus tunc hoc modo affectis sanguis e vena eductus est fat magna quantitate, diversus in diversis subjectis: in multis enim crustam phlogisticam habebat, in aliis sanguis erat optimi coloris, ficcus tamen, & paucam admodum aquam dimittens.

Optime omnibus conducebant medicamenta solventia, antiphlogistica, & lenia paretgorica ad tuffim leniendam.

Quarto die plures urinam miserunt, quæ brevi sedimentum album, leve deposuit, & in his exacerbationes sequentes minus graves fuerunt, pulsus mollis, respiratio facilior, minus dolens fuit, alvus omni die semel liquida, cutis humida facta est, capitis tamen dolor gravis, & fitis magna, pondus in ventriculo conquerebantur.

Hoc

Hoc viso sal. Polychr. dr. j. simul cum Decoct. N. 1. omni die exhibita fuit.

In eodem fere statu manserunt ad diem septimum usque, quo alvo frequenti, pultacea, flava a febre continua liberati sunt omnes, imo bini nullum amplius febris intermittens paroxysmum passi sunt, & brevi vires integras recuperarunt.

Sed reliquos omni die per quinque, vel sex horas sat validus paroxysmus occupabat, cum tamen præter febrim nullum malum symptoma adesset, de ea tollenda non multum fui sollicitus, & pro medicamento solam conserv. N. 25. assumpserunt.

Hoc modo intra aliquot dies in aliquibus febris sponte desit: ubi autem ultra 12. diem protracta non minuebatur, vel validior fiebat, mixt. N. 14. illis data est, qua febris facile fugabatur, & ægri solis postea alimentis aptis refecti sunt.

Quibus quarto die urina rubra sine sedimento fuit, in iis morbus valde increvit, pulsus durior, contractus, inæqualis factus est, respiratio celeris, anxia: tussicula sicca, & capitis dolor præcipue exacerbationis tempore ægros acerbissime afficiebat.

His hoc die sanguis iterato educi debuit, qui brevi crusta inflammatoria tenaci, non tamen adeo densa tegebatur: pro medicamentis præter decoctum N. 1. cui addita erat Nitri dr. j β , Emulsum N. 3. sumpserunt, simulque ad alvum, quæ emanabat, ciendam Enema injectum est.

His adhibitis levamen habuerunt quoad omnia symptomata, & aliqui fat pacatum somnum post Enematis operationem habuerunt: nox quoque sequens fat tranquilla fuit.

Dies quintus fat bonus fuit, Exacerbatio multo lenior fuit, quam die præcedenti, & extra eam respiratio non erat valde impedita; pulsus fat plenus, liber; tussis rarior,
fic-

ficca tamen permanens, dolor capitis, & oculorum minor; in urina nubecula ad fundum cadens conspiciebatur.

Iis, quibus alvus sponte non secessit, denuo Enema injici curavi.

Manferunt ægri in eodem fere statu iisdem medicamentis utentes ad finem octavi diei, vel initium noni, quo oborto copioso sudore, & prodeunte urina brevi sedimentum copiosum album deponente admodum levati sunt.

Posthac enim respiratio libera, tussis nulla, & pulsus licet celer admodum tamen liber erat: capitis gravitas disparuerat, oculi fere naturalem colorem habebant, lingua minus ficca erat, ac vix postea exacerbationes passi sunt.

Solum tunc decoctum N. 1. sine nitro datum est, subinde interpolata dosi Emulf. N. 2. & ægri morbum facile tulerunt, cutis humida mansit, & alvus fere quotidie sponte adfuit, noctu pacate dormierunt. Cir-

Circa decimum quartum morbi diem sudarunt iterum per totum corpus, & si simul alvum pluries habuerunt, penitus iudicati sunt.

Unicus sudavit sine ulla facta per alvum evacuatione, & hic post sudorem debilior factus est, pulsus parvus inæqualis fuit, accessit dolor capitis, obtusus, & oculi tuebant, manibus tremebat, respiratio tamen non multum læsa, & lingua humida erat. Exacerbatio, cujus à nono die vix signum adfuerat, prægresso per quadrantem horæ frigore ægrum ultra sex horas valde anxium reddidit, durante quoque exacerbatione pulsus valde celer, & inæqualis erat, ac æger delirabat.

Finivit paroxysmum paucus sudor, post quem æger mentis compos factus est, & facile spiravit: verum pulsus mansit malus, & vires valde collapsæ erant.

Data

Data est ægro mixt. in qua extract. Cort. Peruv. dr. v. solutæ erant, ut eam divisis do-
sibus ante decimam matutinam decimi quinti
diei absumeret, & bina vesicantia furis ap-
plicata sunt: Laudan. quoque liq. fyd. gtt.
xij. ad somnum, quem capere non poterat,
conciliandum, vespere ipsi datæ sunt: nox
tamen inquieta fuit.

Decimo quinto die licet vesicantia opti-
me operata essent, & pulsus magis eleva-
tus, æger videbatur æque debilis: alvum
tamen sponte deposuerat: & urina omni do-
te naturalem imitabatur.

Frigus circa decimam non redivit, & to-
to die vix mutatio in ægro animadversa est.

Sumfit tunc Emulf. N. 17. & mixt. N.
14. alternatim omni bihorio, & bina alia ve-
sicantia brachiis applicata sunt: vespere laud.
liq. fyd. gtt. xv. ipsi datæ sunt: unde noctu
per plures horas dormivit.

Decimo sexto die mane pulsus erat paulo major, & urina iterum naturalis. Post meridiem accessit anxietas, & celerius spirabat, subinde tussitabat, delirando lachrymabatur, & vix ad interrogata respondens in dorsum immobilis decumbebat; cutis erat sicca, iisdem tamen perrexit medicamentis uti, & noctem infomnis transegit, leni sudore perfusus.

Decima septima morbi die, dum ægrum invisi, illum inveni miliaribus albis pulcherrime pellucidibus non modo pectus, sed etiam abdomen occupantibus copiosis scatentem; tremor manuum aberat, mente optime valebat, ac de debilitate tantum conquerebatur: pulsus erat liber, æqualis, vix febrilis, respiratio bona, tussis nulla, oculi erant vivaces, sitis pauca, & æger juscula, & similia levia alimenta libenter sumebat.

Continuavit mixt. No. 14 uti & loco Emuls. No 17. Clareto No. 8 usus est; æger sine paregorico noctes tranquillas habuit, & 23^{ta} morbi die, qua miliaria nullo amplius superstite morbi vestigio desquamata erant, omni medicamento abstinuit, ac 34^{ta} ab initio morbi die viribus valens ad suos rediit.

Quibus vero febris lenior facta est secundo morbi die, & tertio die post horripilationem exacerbata fuit, ii non tussiebant, verum continuo nauseabant, os amarum conquerebantur, lingua crusta tenui, fusca tegebatur, & valde sitiebant: verum potus, sicut & alimenta ipsis amara videbantur: alvus sine Enemate primis diebus non secedebat; urina erat rubra, in aliis nubeculam suspensam gerens, in aliis Enæoremate carens, pulsus erat subinde inæqualis, celer, respiratio sat bona, dolor vero capitis continuus.

Tempore exacerbationis respiratio erat difficilior, celerior, & reliqua omnia pejora fiebant,

fiabant, imo delirabant: Exacerbatio autem ultra 12 horas durabat, qua finiente ægri sensim mentis compotes fiabant, & respiratio, & pulsus meliores.

Qui Emeticum statim initio morbi assumpserant, vix capite dolebant, & brevi post nausea, & oris amaror disparebant, ac sequens exacerbatio præcedentem vehementia symptomatum non superabat.

Illis vero, quibus Emeticum non datum est, vel qui recusarunt illud assumere, Exacerbationes diuturnitate, symptomatum vehementia semper increverunt, quorum tempore valde delirabant, continuis vomendi conatibus defatigabantur, ac valde inquieti jacebant.

Quocunque tamen die datum Emeticum semper profuit, hinc ubi ægros hoc modo affectos vidi, prima cura fuit, ut quam primum fieri posset ypecacuanhæ dr. β sumerent.

rent. Unde pluries vomuerunt varia indigesta, glutine tenaci varii coloris intermixta.

Peraçta vomitione lene paregoricum exhibebatur.

Omnibus profuit post vomitum mixt. No. 14. quæ cum copioso decocti hordei, & Bardanæ Oxymelle simplici mixti potu brevi omnem amarorem, & nauseam sustulit. Quibusdam etiam loco hujus mixturæ datum est Rob. No. 4. Et Alvus, dum sponte non cessit, & abdomen tensum deprehendebatur, Enemate omni altero die sollicitata est.

His medicamentis utentes ægri 4 primas exacerbationes bene tulerunt: verum post quartam urina, quæ semper sat bona fuerat, fiebat fusca, & brevi Enæorema crassum sublimine in illa conspiciebatur, pulsus fiebat multo debilior, mollis, inæqualis, ac vires multum collabebantur, & tristes fiebant ægri.

Omnibus bene perpensis nihil contra indicans cortici inveni, ac illis ideo mixt. No. 14 ex-

D

hibui,

hibui, qua utentes ægri post morbi diem undecimum ab omni exacerbatione liberi fuerunt, & circa decimum quartum morbi diem sudore copioso oborto, ac ultra 24 horas sæpius repetente penitus judicati sunt.

Continuarunt tamen usque ad diem vigesimum mediam dosim prioris mixt. assumere, ac postea aptis alimentis brevi vires recuperarunt. Unus, qui diutius corticem assumere recusaverat, die vegesimo primo morbi febre inermittente tertiana correptus est.

MENSIS NOVEMBRIS.

Fere iidem morbi observati sunt, ac mense præcedenti, & methodo eadem fere omnes curati sunt.

MENSIS DECEMBRIS.

Non multi hoc mense acute in nosocomio decubuerunt; adfuere tamen septem, qui graviter affecti fuerunt.

Hi ægri per plures dies, antequam in morbum incidere, lassitudine spontanea, appetitu deleto laborarunt, & noctes inquietas habuerunt. Hæc symptomata excepit frigus, tremor, quæ capitis dolor, & anxietas comitabatur: successit demum calor urens. Sex initio morbi, nempe secundo, vel tertio die ad nosocomium allati sunt, alter serius, de quo postea.

Hi sex, qui statim ad nos delati sunt, habebant calorem magnum, pulsum parvum debilem, & inæqualem, respirationem tantum naturali paulo celeriore, linguam crusta tenui, nigra obductam, aridam, sitim magnam, appetitum nullum, cutim siccam, oculos

tristes, urina erat flammea, quibusdam alvus bis, ter de die sponte deponeretur foetidissima: omnes ad omnia indifferentes, & debilissimi vix ad interrogata respondebant. Statim ab initio Claretum No. 8. & mixt. No. 14. alternis horis fumenda ipsis præscripti.

Nihilominus his medicamentis five secundo, five tertio die inceperint uti, permanferunt fere in eodem ftatu ad diem morbi sextum, quo continuo quasi fopore feputi videbantur: potus, & medicamenta non nifi magno cum labore ipsis ingerebantur: fed & alvum tunc in lectum foetentem admodum dimittebant, & urina admonitis ægris in vitrum quandoque miffa, ex flammea in fubfufcam, enæorema craffum, fundum petens, gerentem mutabatur; reliqua omnia fymptomata manebant eadem, & oculi livefcebant. Suris, ac Nuchæ veficantia applicata funt, & fequenti die fopor in quibusdam minor, & oculi clariores erant, ac oblata quæque melius affumebant.

incabant. In aliis vero nulla mutatio. Deditum loco Clareti Emulsum No. 17. cum mixt. No. 14. quibus effectum est, ut pulsus æqualior; paulo major fieret, & oculi decimo die nitorem fere naturalem haberent; manebat tamen in somnum propensio.

Die undecimo circa vesperam bini inceperunt tussitare.

Tertius sine tussi magis anxius erat.

Quartus vero incepit subito ronchos edere, & die duodecimo mane mortuus est.

Bini alii in eodem statu permanferunt.

Illis, quibus tussis molesta erat præter dicta medicamenta, Syr. diacod. & Althææ aa partes æquales dedi, ut subinde parvum cochlear fumerent. Illi vero, qui anxietate sine tussi premebatur, duo vesicantia brachiis applicata sunt, in aliis nihil mutavi.

De nocte tres priores parum sudarunt, & urina in omnibus fere naturalis coloris erat, tussis, & anxietas fere eadem: noctem tamen

sequentem somnus aliquot horarum sat pacatam reddidit.

Decimo tertio die cum prioribus symptomatibus luctabantur, donec circa initium decimi quarti in binis tussientibus petechiæ rubræ, in altero autem miliaria alba in collo, & pectore cum omnium symptomatum levamine eruperint: etenim tussis rara erat, anxietas multum imminuta, pulsus major, æqualis, lingua humida, oculi clariores & ægri minus soporosi ad interrogata apte respondebant.

Loco Emulsi No. 17. dedi Claretum No. 8. & mixturam No 14. continuarunt fumere.

Qui miliaria habebat, alvum deposuit sat copiosam, coctam: bini vero, quibus erant petechiæ, nullam dejectionem per alvum habuerunt, nec tamen aliquid incommodi inde exurgebat, abdomen enim erat molle, minime tensum.

Decimo septimo petechiæ jam flavescen-
tes incipiebant disparere, ac simul cum illis
febris, & reliqua symptomata minuebantur,
& vigesima die de omnibus his nihil omnino
supererat.

Ille autem, qui miliaribus laborabat, de-
cimo septimo mane magis febricitabat, & no-
va miliaria prioribus jam siccescentibus pro-
ruperunt, incepit quoque tussire, & sputa
tenacia difficulter ejicere: tum claret. N. 8.
cui addita erat mucilag. Gum. trag. unc. β, &
pulv. N. 15. exhibui.

Noctu dormivit quidem, sed tantum
per intervalla, nam tussi sæpius a somno exci-
tabatur, & sputa copiosa tunc facilius, quam
de die prodeuntia ejiciebat cum quodam leva-
mine.

Postea nulla amplius facta mutatio, ad
vigesimalam morbi diem usque, qua tussis ra-
rissima evasit, & sputis semper prodeuntibus
glutinosi, & paucis, miliaria in squamas abi-

bant, reliquis omnibus symptomatis integre disparentibus.

Vigefimo quarto nihil quidem de morbo supererat, sed æger, qui antea torofus, nunc debilitatus, & multum emaciatus erat.

Abstinuit tunc omni medicamento, & lac cum potu ordinario, ac jusculum cum cremore hordei quater, vel quinquies de die fumpfit, quibus intra quinque dies ita refectus est, ut furgere, & fat diu extra lectum manere potuerit & 32. ab initio morbi die, cum viribus utcunque valeret, assumpta dr. j Rhei aliquoties purgatus est, unde appetitus ita excitatus, ut fequenti die parum carnis cum aliis levioribus alimentis ipfi concedi debuerit: postea, aucta sensim alimentorum copia, prius robur acquisivit, & quadragesima ab initio morbi die ex nosocomio discessit.

Qui autem petechiis laborarant, brevi vires recuperavere, & citius nosocomio vale
di-

dixerunt. Bini vero alii, quibus nec petechiæ, nec miliaria proruperunt, decimoquarto die magis foporosi facti sunt, & oculos tristissimos vix aliquando aperientes nullum verbum proferebant: habebant auditum gravissimum, & alvum valde fœtidam continuabant in lectum dimittere; os non nisi magno custodis molimine aperiebant, dum vero illud semel aperuerant, quæcunque celeriter deglutiebant.

His duo vesicantia eodem die brachiis applicata sunt, & prioribus medicamentis continuarent uti.

De nocte inquieti fuerunt, se hinc inde continuo jactitarunt: attamen circa quartam matutinam unus ultra horam dormivit, & evigilans audiebat, loquebatur, & potum, ac medicamenta avide assumebat, pulsus erat plenior, liberior, fopor evanuerat, & alvum tota nocte non deposuerat.

Alter qui non dormiverat, etiam audiebat, sed difficulter ad interrogata respondebat, & licet animi compos esset, alvus pluries in lectum effluerat: pulsus celer, inæqualis erat, cum manuum tremore, & magna debilitate.

Data sunt ipsi Laudan. liq. fyd. gtt. xv. absque effectu: Claretum vero, cui mucilag. Gum. tragant. dr. iij & Boli armen. unc. β, Laudan. liq. fyd. gtt. xxx. addebantur, de quo omni bihorio unc. j. sumsit cum interpolata subinde dosi emulli camph. adeo profuit, ut nocte sequenti somno plurium horarum captus non dimiserit alvum in lectum, & semel tantum in excipulum deposuerit, ac hæc erat spissior, minus fœtens.

Die decimo sexto pulsus erat æqualior, minus debilis, respiratio sat bona, ac alvus pultacea flavescens, & urina circa meridiem milla, post quatuor horas sedimentum copiosum, glutinosum, album deponebat: Nox fuit tranquilla.

Deci-

Decimo septimo mane totum corpus sudore madebat; in urina noctu missa Enæorema fundum petens, tertiamque vasis partem occupans conspiciebatur, respiratio optima, lingua humida, pulsus major, mollis, undulosus, & oculi colore naturales erant.

Solo tunc clareto N. 8. usus est, & decimo octavo, ac decimo nono morbi die pluries adhuc sudavit, noctes tranquillas habuit, ac vigeſimo die nihil amplius de morbo superſuit, & viribus poſtea ſenſim bona diæta intra duodecim dies reſtitutis ſanus ad ſuos rediit.

Alter vero, qui die 15. levamen habuerat, ſine ulla ſenſibili evacuatione facta die 17. a morbo liber fuit, & citius noſocomio exivit.

Septimus dum ad nos deferēbatur, jam petechiis copioſiſſimis, aliis rubris, aliis etiam liveſcentibus, affectus erat; habebat pulſum rythmo, & tempore inæqualem, non tamen debi-

debilem, magnam sitim, linguam siccam, tremulam cum continuo delirio, & dolore totius corporis. Sequens medicamentum datum est.

R. Aq. decocti hord. libr. j.

Spirit. Sulph. per camp. dr. j.

Syr. althææ unc. j β.

M. S. omni 3 horio duo cochleria sumat.

Quamdiu antea ægrotaverit, scire non potui, sed secundo die, ex quo erat in nosocomio, prorumpabant miliaria alba, quibus sequenti die disparentibus, ægrotantis vires vehementer dejiciebantur, lingua fiebat magis sicca, nigra, fordida; sitis major, pulsus celerior, debiliorque, & his subinde tussis sicca sese adjungebat.

Cum præcedenti mixtura datum est emulsum N. 17.

Quarto die miliaria confertissima iterum prostabant, atque tussis strepens orta est. Tunc vero claretum, & pulv. N. 15. ipsi da-

ta sunt : sensim tamen increfcebant fympptomata, & die sexta copiofiffimis miliaribus, fimul cum petechiis proftantibus, respiratio celeris, inæqualis, pulfus plane inordinatus evafit.

Duo veficantia tunc furis applicata funt.

Mansit in eodem ftatu ad undecimum ufque diem, miliaria sensim in veficulas admodum magnas attollebantur, alvus quotidie liquida, cruda egerebatur.

Undecimo die omnes petechiæ, & miliaria pro maxima parte difparuerunt : mox respiratio facta est anhelofa, facies ruberrima cum loquelæ defectu, & delirium increvit; duo veficantia denuo applicata funt.

Decimo tertio numerosiffima iterum miliaria proftabant : respiratio erat facilior, delirium minus, pulfus magis elevatus, constantior.

Verum fequenti nocte novies purgatus fuit, & omnino miliaria difparuerunt.

Dum

Tum respiratio iterum anhelosa, dolorifica, pulsus inordinatus, celerior evasit cum delirio majori, & summa anxietate, siti magna; & lingua crusta, nigra, admodum crassa obducebatur; verbo, omnia symptomata magis intendebantur.

Clareto, cui mucilag. Gum. trag. unc. β & Laudan. liq. fyd. fer. j. addideram alternatim cum emulso N. 17. usus est, ac duo verificantia femoribus applicata sunt.

Decimo quarto die quater adhuc purgatus est: sequenti nocte, quæ fuit inquietissima, sexies vomuit, nihil tamen in illa materia rejecta conspiciebatur præter medicamenta: & mane dum accessi, toto corpore miliaribus confertissimis rursus scatebat, atque tunc respiratio facilior, delirium multo minus; facillime loquebatur, pulsus plenior, non adeo febrilis; sitis non magna erat, nec facies adeo rubra: solo tunc Clareto usus est.

Sequenti die lingua mundabatur, delirium aderat nullum, bene dormiverat, & decimo septimo miliaria incipiebant desquamari, nihilque conquerebatur æger. Sumpsit adhuc per aliquot dies claretum, & vigesimo tertio, quo apud nos decumbebat, die, e lecto surrexit, & 36. nosocomio exivit bene valens.

MENSIS JANUARIUS.

Pleuritis hoc mense frequentior fuit, quam quicumque alius morbus acutus; verum ad hujus Curationem nihil peculiare requirebatur, & methodo antea mense Augusto dicta fere omnes evaserunt.

Una tantum fuit foemina, quæ aliter curari debuit.

Hæc administratis venæ sectionibus, & medicamentis antiphlogisticis die quarto multum levari videbatur. Etenim dolor lateris multo minor, respiratio facilior, pulsus liberior

rior erat. Urina sedimentum album leve deposuerat, & per plures horas noctu dormiverat, ita ut omnia fausta sperarem.

Die quinto in eodem statu permanfit.

Verum die sexto præter omnem expectationem ejus facies horrendum in modum tumore duro, rubro, renitente occupabatur, & labiis eodem modo tumentibus vix ipsi liquida ingeri poterant, oculique sub tanto tumore ita reconditi erant, ut ne digitis quidem aperiri potuissent; pulsus erat magnus, febris vehemens, respiratio cita, profunda, & ægra pedibus, manibusque ob nimium calorem lecti levia tegumenta removebat.

Sanguis tunc ex brachio detractus brevi in pellem coriaceam, densam concrevit, & alvus enemate bis sollicitata fuit.

Pro medicamento sumpsit decoct. Tamarindorum: & externe applicabantur lintea quadruplicata fomento ex floribus Sambuci parato, intincta, sæpius renovata.

Post

Post meridiem facies paulisper concidit, labia facilius aperiabantur, febris minor, & respiratio aliquantulum melior erat.

Noctu pluries alvum egeffit, & parum dormivit.

Die septimo mane faciei tumor ita conciderat, ut jam oculos aperire posset: tantum in genarum parte inferiore, & sub maxilla in utraque parte renitentia, & dolor permanebant; respiratio bona, lingua humida, cutis mollis, febris admodum moderata erat: & vespere assumpta fyr. Diacod. unc. j. noctem sequentem habuit pacatam.

Die octavo adhuc paulisper febricitabat, & tumor fere totus conciderat: hinc solo decocto N. i. usa est.

Nocte sequenti bene dormivit, & die nono febris desierat, ac tumor maxima parte disparuerat: pars tantum supererat tumoris, ab angulo maxillæ dextræ ad mentum usque continuata, durissima, maxillæ adhærens, & vix dolens. E Ap-

Applicata sunt fomenta solventia per sex dies sine ulla mutatione; verum datis bis de die Pillul. N. II. gr. jv. extracti cicutaë, & Emplastro ejusdem nominis externe applicato intra decem dies tumor penitus fusus disparuit: & ægra, quæ sub usu cicutaë cum bonis alimentis vires refecerat, paucis post diebus ad suos redivit.

Lata vesicantia pectoris loco dolenti applicata, multos quoque hoc mense ex orci faucibus eripuerunt.

Dum hæc ferre nolebant ægri, rubefaciens ex fermento panis, & feminibus sinapi, cui quandoque pulvis Cantharidum pro ratione necessitatis inspergebatur, eodem cum effectu applicatum fuit.

Fœmina 36. annos nata sexto morbi die, ut aiebat, ad nos delata est: hæc habebat respirationem brevem, celerem, & magnam pectoris anxietatem; appetitus deletus erat, vires debiles, pulsus mollis, non valde celer, fitis non multa. Da-

Datum est ipsi solum decoctum N. 1.

Per quatuor dies in hoc statu fuit: die undecimo autem prorumpebant miliaria alba, parva, quæ die sequenti copiosissima fuerunt: hæc tamen nullum levamen attulerunt: atque perstiterunt ad 18. morbi diem sine ulla symptomatum mutatione.

Decimo nono autem omnia miliaria disparuerunt, & ægram in magnum soporem, cum majori spirandi difficultate, & anxietate conjecerunt: pulsus erat debilior, & celerior.

Dedi tunc Emulsum N. 17. & Decoct. N. 1.

Vigesimo secundo morbi die nova miliaria numerosissima prorupere: respiratio quamquam melior, multum tamen adhuc impedita erat; pulsus vero liberior, & fortior; sopor fere penitus disparuerat, anxietas fere eadem remansit.

Vigesimo quarto miliaria denuo disparuerunt pro maxima parte, & hæc diarrhœa ex-

cepit, quæ initio videbatur levamen afferre. Verum spes, quam ex hac evacuatione conceperam, brevi excidebat : nam sequenti die vires dejiciebantur magis, respiratio laboriosa, & pulsus debilior erat cum majori siti, urina admodum rubra.

Cum Emulsione N. 17. decoctum N. 8. exhibui, quo id obtinui, ut nocte sequenti tantum bis purgata fuerit, & die vigesimo sexto duo vesicantia furis applicata sunt.

Eodem die ad vesperam iterum inceperunt miliaria prorumpere, & die sequenti copiosissima prostabant : urina erat naturalis, ægrotaque tunc erat sine ullo sopore, respiratio fere naturalis, pulsus adhuc parum febrilis, sed plenior ; disparuerat anxietas, & fitis : & placidissime interdum dormiebat.

Post quatuor dies hæc miliaria in squamas abiverunt, nihilque de morbo superfuit, & decem postea diebus elapsis sanissima discelsit.

MENSIS FEBRUARIUS.

Binos tantum hoc mense pleuriticos habuimus, & hi facile curati sunt.

Aduere autem octo alii, qui tussicula molesta torquebantur; præter spumam nil ejicere poterant; febricula in omnibus præfens, vespertino tempore augebatur; noctes erant inquietæ, cum continuo capitis dolore obtuso; & alimenta, licet appetitus utriusque vigeret, intendebant febrem, & ægros anxios reddebant, quocumque tempore assumerentur: alvus erat tarda.

Hos ægros decoctum emolliens magis anxios reddidit, nec tussim lenivit: infusa quoque ex herbis pectoralibus nullum levamen attulere.

Optime autem conducebat purgans N. 9. quo magna glutinis tenacis copia alvo educabatur.

Inde enim tussis minus frequens fiebat, anxietas minuebatur, & ægri facilius ferebant alimenta : febris tamen eodem modo pergebat.

Post purgationem conserv. N. 25. vel decoctum N. 19. sine spiritu exhibebatur. Sub his alvus quotidie bis, vel ter exonerabatur tanto cum levamine, ut vix ultra quatuor dies ab assumpto purgante tussicula duraverit; imo die nono sex ex illis à febre penitus liberi erant.

Binæ autem fœminæ, eodem modo affectæ, licet a methodo dicta levamen habuerint, non tamen penitus convaluerunt.

Una ex his, cum sibi melius esse perciperet, nobis insciis domum rediit; verum elapsis quatuor diebus ad nos iterum deferebatur.

Habebat faciêm tunc colore ex flavo viridescenti tinctam; adnatæ oculorum livescebant; artus superiores continuo tremore agitabantur.

tabantur, omnibus artubus, ac lumbis, & capite dolebat; respiratio erat celeris, frequens, pulsus parvus, celer, magna fitis, appetitus nullus: alvus liquida, foetida, & totius corporis debilitas.

In hoc statu dedi ipsi emulsum camphoratum, & vesicantia furis applicata sunt; simul copiose potabat ægra decoctum hordei, Rad. Bardan. & acetosæ.

Subinde per diem dormivit, sed nec tunc cessabant tremores: alvum ter dimisit in lectum.

Hinc vespere tum ut somnus pacatior fieret, tum etiam ut alvus debilitans sisteretur, data est unc. j. syr. diacod. cum gtt. v. Laudan. liq. syd. quo quidem alvus sistebatur, ast nox nequaquam fiebat tranquillior.

Sequenti die, cum eadem indicatio adhuc esset, nil in medicamentis mutavi, respiratio, & pulsus videbantur parum liberiores.

Circa tertiam pomeridianam cum sudore, emerferunt petechiæ rubræ, per universum corpus numerosissimæ. E 4 Se-

Séquenti die non amplius tremebat, nisi dum manus aliquid prehensura elevabat; nullum amplius dolorem conquerebatur; pulsus, & respiratio majores, æqualiores, & minus celeres erant; alvus nulla: urina erat naturalis: verum inter petechias rubras, plures vibices livescens conspiciebantur. Hinc licet ab exanthematibus manifestum levamen conspicerem; metui tamen, ne forte adhuc aliquid corrupti in massa sanguinea latitans illam denuo corrumperet, aut etiam ne deposita ad cutim materia morbosa forte retrocedens idem efficeret.

Hinc ut naturæ vires fervarentur, & contra corruptionem munirentur humores; præter Claretum N. 8. præscripsi.

℞. Aq. Flor. Rhæad. unc. vj.

Extract. Cort. Peruv. dr. v.

Vin. boni Auftriac. unc. ij.

Syr. Diacod. unc. j. β.

M. ut uno bihorio duo cochlearia hujus mixt. sumeret, altero bihorio clareto uteretur.

Commendavique, ut semper copiose potaret.

Noctu sat bene dormivit sine paregorico.

Die decimo tertio petechiarum livescentium numerus minor erat, nox quoque frequens pacata fuit.

Decimus quartus dies fuit 13tio similis, nisi quod alvus bis prodierit sponte, & levans, & parum noctu sudaverit ægra.

Die 15. adhuc minor erat petechiarum numerus, & quæ supererant, pallebant.

Nox fuit optima, & alvum coctam fere naturalem deposuit.

Die decimo sexto penitus disparuerant petechiæ; respiratio naturalis erat, & pulsus tantum debilitate peccabat: continuavit adhuc eadem medicamenta per sex dies: appetitus viguit, vires cito redierunt. & dato

die 27. purgante ex Rheo, carnes ipsi concessæ sunt, & brevi nosocomio exivit.

Altera autem fæmina, quæ quoque omnibus, quæ videbantur indicari, adhibitis a febre Catharrali non potuerat curari, die 13 mensis, cum jam nonum diem in nosocomio ageret, incepit valde acute decumbere.

Pulsus erat celerior, fortis, respiratio cita, tussis valde frequens, sicca, defatigans, lingua arida, nigra, sitis magna, urina subfusca, cutis sicca.

Instituebatur venæ sectio, & dabatur decoctum No. 1. cui nit. dr. 1. β addebatur; noctu per intervalla dormivit: sequenti die vesperi major accessit anxietas, nox fuit inquietissima.

Tertio ab exacerbatione morbi die abdomen utcumque tensum erat, & vagos ibidem dolores conquerebatur, qui injecto Enemate, cujus ope magna fecum copia, & multi flatus prodire, penitus cessarunt.

Post

Post meridiem pacatum somnum habuit, alacrior fuit, & noctem quoque bonam transegit. Sputa pauca glutinosa, tunc tussi incepit ejicere.

Ut expectoratio facilius redderetur, præter decoctum No. 1 pulvis No. 15. ipsi datus est, unde sputa quidem facilius prodierunt, reliqua autem manserunt immutata.

Nox inquieta fuit, & ægra per intervalla deliravit.

Die totius morbi 13. mane prægresso magno cutis pruritu per totum corpus leniter sudavit, pulsus liberior evasit, & tussis faciliior: sed de pondere in ventriculo conquerebatur.

Alvus Enemate denuo moveri debuit.

Die 14. urina erat cruda, magis rubra, & pulsus videbatur debilior.

Noctem quiete admodum transegit.

Die 15. respiratio erat multo difficilior, anxietas major, tussis frequens, expectoratio

tio fere nulla, pulsus inæqualis, debilis, urina minus rubra sine sedimento, & alvus sponte egesta, solito magis fœtebat. Interim multum potabat, & levia alimenta utcumque assumebat.

In hoc statu furis, & brachiis vesicantia applicata sunt, ac pro medicamento Emulsum No. 17 assumpsit.

Circa vesperam multo melius spirabat, & pulsus major, æqualior erat, omni momento autem se hinc inde jactitabat

Hinc ut noctu pacatior esset, vespere Syr diacod. unc. j. cui additæ erant Laudan. Liquid. Syd. gtt. V. assumpsit bono cum effectu: siquidem blando plurium horarum somno refecta est, & die 16. tranquillior fuit: anxietas tamen & tussis æque, ac antea illam torserunt.

Urina circa vesperam sedimentum album glutinosum deposuit; nox fuit infomnis usque ad quartam matutinam: post quartam vero eruperunt miliaria alba numerosissima in collo,

collo, abdomine, & pectore, into his brachia obfita erant.

Facta hac eruptione tuffis facillima, & minus frequens fuit, respiratio tamen adhuc naturali paulo celerior, pulsus erat sat plenus, liber; sub decimam matutinam alvum depofuit pultaceam, flavam, & urina coloris fere naturalis nubeculam in fundo gerebat.

Tunc loco Emulfi No. 17. Claretum No. 8. ipfi præfcripti.

Exinde nihil novi in ipfa accidit ad diem vigefimum ufque: noctes fuerunt pacatæ, febris moderata, fubinde tamen fuperveniebat tuffis.

Die Vigefimo primo autem, dum miliaria incipiebant in fquamas abire, tuffis fuit frequentior, defatigans, ficca; dedi ergo Clareti loco decoctum No. 1. ac fimul unc. j. Syr. Diacod. vefpere fumpfit.

Noctu per plures horas dormivit, mane tuffis erat humidior, & fubinde fputa pauca glutinofa ejiciebantur.

22. Sputa erant cocta, facilia, respiratio bona, & vix febris indicium animadvertebatur.

Continuavit decocto No. I. uti ad diem morbi 28. qua tussis disparuerat, ægra optime habente. Hinc ab omni medicamento abstinuit, & brevi vires recuperavit.

MENSIS MARTIUS.

In morbis acutis hoc mense nihil peculiare observavi; duo tantum fuerunt, quorum historiam dabo: fœmina nempe una, quæ diu cum febre intermittente luctata demum incepit delirare, ita ut sæpissime è lecto exiliret, & custodibus, aliisque adstantibus varia minaretur. In hoc statu ut maniaca ex alio nosocomio dimissa, ad nos adducta est.

Hæc erat torosa: facies, & oculi videbantur sani, dum vero ad illam accedere volui,

lui, manibus me fortiter repulit, ac ultro minas adjecit: blandis tamen verbis furorem lenire potui, ac dein illam examinavi.

Lingua erat humida, & coloris naturalis; respiratio bona, pulsus plenus, minime celer, color tamen faciei naturali magis ruber: alvum à triduo non deposuerat.

Præter Enema, & mixt. N. 10. nihil exhibui.

Circa quartam pomeridianam incepit soporosa fieri, respiratio erat difficilis, in pulsu autem præter plenitudinem nihil animadvertatur: venam secari jussi; unde symptomata levata sunt.

Sequenti die mane missa urina rubra erat, ægra minus ferociter delirabat, & vix videbatur febricitare, pulsus tamen æque plenus erat, ac die præcedenti: hinc vena iterum secta fuit, & sanguis detractus spissus erat: pulsus tunc febrilis evasit, & ægra sensim animi compos facta post meridiem in priorem soporem

rem

rem collapsa est, qui sequenti die mane disparuerat, & post meridiem denuo accessit cum majori spirandi difficultate.

Enema denuo injectum est, & sequenti die Emulso N. 3. & mixtura N. 14. usâ est.

Inde vero magis anxia fiebat, & febris, quæ matutino tempore moderata esse solebat, validior fuit, ac vespere ita increvit, ut, ægra huic ferendæ impari visa, venæ sectio rursus instituta fuerit: post hanc ægra levamen habuit: abstinuit tunc a cortice, ac solo decocto N. 1. cui addita erat nitri dr. j. β usâ est, simul cum copioso decocto hordei, Bardanæ &c. noctu per plures horas dormivit, & sequenti die exacerbatio multo minor fuit.

Continuavit ægra solo hoc decocto uti per quatuor dies, redibat tamen quotidie exacerbatio illam semper magis debilitans: hinc cum nihil corticem vetaret, denuo præscripsi mixturam N. 14. optimo cum successu, illam enim bene tulit, & tertio die post,

paro-

paroxyfmus pomeridianus emanfit , remanente tamen febre continua , quæ die 13. quo in nofocomio decumbebat , alvo , & fudore per totum corpus æquabili aborto , penitus fublata eft. Sumpfit adhuc per aliquot dies corticem peruvianum , & fat cito vires recuperavit.

Alter erat Juvenis 20. annorum , qui jam diu domi ægrotaverat , antequam ad nos deferretur : dolebat toto corpore : pulfus erat celer , parvus , quandoque intermittens : magna debilitas , dolor capitis cum pondere gravativo ventriculi aderat , amaritudo oris , naufea , & fitis.

Data eft ftatim dofis Ipecacuanhæ : qua materia tantum mucofa rejecta eft.

Postea aliquot Laudani Liquid. fyd. gtt. exhibitæ funt , & decoctum N. 1.

Die fecundo , a quo in nofocomio erat , habuit hæmorrhagiam narium , quæ capitis dolorem multum lenivit : manebant iidem

dolores, pulsus celeritas aucta erat: neque levamen doloris capitis constans fuit; nam sequenti die eadem cum vehementia redibat, ac pulsus multo celerior, & debilior erat, somnus nullus: & continuus fudor tunc ægrum debilitabat.

Tum data fuit mixtura. N. 12.

Quarto die cessavit fudor, sed reliqua manserunt, atque per biduum nulla ulterior mutatio facta est.

Die septimo autem capitis dolor erat multo minor, pulsus magis elevatus, nec adeo celer, & vires meliores videbantur.

Nocte vero sequenti iterum fudor exortus est, qui ægrum multum debilitavit.

Die 9. tussis admodum frequens, sicca orta est; pulsus tum æqualior erat, non multum febrilis: dolores, quos initio conquerebatur, disparuerant, & alvum bis deposuit liquidam: urina erat fere naturalis.

Datum est tunc decoctum N. 6.

Hoc in statu fuit adhuc per quatuor dies, sine ulla mutatione: subinde dormiebat, sed minus tranquille.

Decimo quarto autem pectore valde anxius erat: Auditus erat gravis, & tussis frequentior somnum omnino turbabat.

Dedi decoctum N. 1. & subinde fyr. diacodii.

Sequenti nocte novies purgatus est sine ullo levamine.

Die 15. sputa pauca, spumosa magno cum labore ejiciebat: pulsus erat valde acceleratus, & debilis, magna fitis, subsultus tendinum cum levi mentis alienatione, & majori pectoris oppressione.

Simul cum præcedenti decocto datum est Emulsum. N. 17.

Circa Meridiem quædam miliaria alba proruperunt in pectore, quibus die sequenti disparentibus respiratio celeris, brevis evasit, & tussis aucta est.

F 2 Die

Die 17. alvum iterum ter deposuit liquidam, crudam: idem die 18. evenit.

Tunc præter alia medicamenta bis per diem syr. diacod. unc. j. sumpsit.

Die vigesimo miliaria copiosa eruperunt in collo, pectore, abdomine: ter adhuc alvum deposuit crudam: urina quoque cruda erat, respiratio fere naturalis: subsultus tendinum cessaverant: pulsus magis elevatus erat, sputa facilius prodibant, & æger mente sibi constabat.

Dedi loco Emulsi N. 17. Claret N. 8.

Die 22. urina rubra gerebat enæorema dispersum, atque sic se habuit æger ad 24. usque diem, quo miliaria omnia disparuere: tum tussis frequentior, & sputa iterum spumosa evaserunt: respiratio brevis, & celerior cum majori pectoris oppressione, ac pulsus valde celer, & auditus gravissimus erat

Data est mixtura N. 13. & Emulsum N. 3.

Inde pulsus paulo major factus est.

26. Pulsus erat iterum æque febrilis, & debilior: omnia alia symptomata erant eadem.

Duo vesicantia furis applicata sunt.

Verum hæc, licet optime operata fuerint, nihil juverunt, & die 28. summe soporosus factus est: pulsus erat valde debilis, omnino inordinatus; sputa parum majori copia, tenacia ejiciebantur: lingua erat humida, sed nigra, fordida.

Alternatim sumpsit pulv. N. 15. & mixt. N. 13. & tria vesicantia adhuc applicata sunt.

Die 30. sputa cocta magno cum labore ejiciebat: præcedenti nocte sudaverat, sudorem tamen nullum secutum est levamen.

Continuavit iisdem medicamentis uti.

Sequenti die alvus continuo in lectum effluebat, & omnia symptomata aucta sunt cum tanta virium prostratione, ut brevi moriturus videretur æger.

Dedi ipsi mixtur. quæ ad aquæ unc. viij. Extract. Cortic. Peruv. dr. v. & Laud. Liq. Syd. dr. β continebat, ut alternatim cum dosi Emuls N. 17. cui boli Armen. unc. β addita erat, duo cochlearia fumeret omni altero bihorio, ac bina vesicantia de novo applicata sunt.

Sub his sistebatur alvus tam feliciter, ut nocte sequenti semel tantum dimissa fuerit in lectum, & die 32. miliaria confertissima, alba in collo, pectore, abdomine, & brachiis proruperunt, quæ paucarum horarum spatio maxima symptomata depulerunt: sopor, & anxietas penitus disparuerant: respiratio erat facilis, pulsus liberrimus, debilis tamen, oculi vivaces, urina naturalis, tussis nulla. Se-

Sequenti nocte optime dormivit: post quatuor dies in squamas abiverunt miliaria nullo amplius superstitite symptomate, appetitus erat bonus, ac aptis alimentis, vires sensim restauratæ sunt.

Verum cum duriores cibi ipsi recusarentur, furtim ab amicis varia fercula acquisivit, quæ avide abligurivit, & in dysenteriam incidit nulla arte sedandam, quæ trium dierum spatio miserum ita exhaustit, ut fato functus fuerit.

MENSIS APRILIS.

Multi hoc mense acute decubuerunt.

Incipiebat in plerisque morbus cum horripilatione frequenti, ingenti virium prostratione aliquando per binos dies durante, donec accederet anxietas, calor magnus, fitis magna, & dolor fere universus per totum corpus.

Pulsus erat in omnibus celer, minime durus: cutis ficca, lingua arida, plerumque fusca: oculi dolebant.

Febris in multis primis diebus circa vespas exacerbabatur, quo tempore dolor capitis, & oculorum, ac tussicula ficca, quandoque etiam delirium se reliquis symptomatibus adungebant. Illi quoque, qui cibis duris, & difficile digerendis soliti erant ali, nauseabant, & magis tussiebant. Permanebant hæc nova symptomata in quibusdam per 7. vel 8. Horas, in aliis autem diutius.

Hi ægri statim ab initio decoct. N. 1. pro medicamento habuerunt, & copiose potarunt.

Venæ sectioni locus non fuit, pulsus enim nec plenus, nec durus deprehendebatur. Pluribus hoc modo intra 4. vel 5. dies cutis humescebat, ac simul disparuit omnis dolor, ac exacerbationes vespertinæ

ſpentinae: verum tuſſis manſit ficca plerumque ad ſeptimum diem uſque, quo inceperit ſputa tenacia, glutinoſa prodire, quæ ubi difficilia erant, Pulv. N. 15. vel conſ. N. 16. ægris porrigebatur, unde expectoratio multo facilior reddebatur, & ægri & a feбри, & a tuſſi brevi liberi fiebant.

Illis vero, qui nauſeas patiebantur, methodus dicta nullo modo profuit; licet enim magnam diluentium, & involventium copiam ſumerent, augebatur omni die anxietas, & nauſea, & valde debilitabantur.

Hinc ubi nihil contra indicabat, lene vomitorium exhibendum fuit, quo ejiciebatur materia variegata, glutine tenaci mixta cum magno ægrorum levamine.

Quibus vero aliquid vomitum prohibebat, dedi Rob. N. 4. cui pulveris folior. Alexandr. dr. ij. addebantur: unde mota pluries alvo ægri quoque levabantur, licet tardius, & minus commode.

Sic expurgatis primis viis anxietas multo minor fuit, & tussis moderata, ac loco decocti N. 1. sumpserunt Rob. N. 4. & Infus. Heder. Terrestr. veron., quibus utentes ægri primis diebus videbantur melius habere: verum plerumque circa quintum morbi diem pulsus fiebat debilis, inæqualis, respiratio celeris cum anxietate præcordiorum, cuti sicca, & mentis alienatione.

Emulsum ipsis N. 17. exhibui, ac præterea furis vesicantia applicata sunt: vespere vero unc. 1. Syr. Diacod. assumpserunt, unde nox fatis pacata sequebatur.

Sexto die pulsus erat fortior, minus inæqualis, respiratio liberior: in reliquis vix mutatio aderat.

Iisdem medicamentis usi sunt ægri ad diem nonum, quo in binis prægresso copioso sudore miliaria alba circa collum, pectus, & abdomen copiosa prodierunt, cum levamine omnium symptomatum: Etenim

respiratio erat libera , febris multum immi-
nuta , & ægri mentis compotes erant , ac
nocte sequenti somno protracto reficiente
gavisi sunt. Loco Emulsi N. 17. clar. N.
8. exhibui .

Die 14. miliaria in squamas abierunt,
ac febris in uno penitus desit, nil mali in
corpore relicto, ac brevi vires recuperavit.

Alter autem, licet prostantibus exanthe-
matibus optime spirasset, ac vix tussi affe-
ctus fuisset, incepit denuo difficile spirare,
tussi sicca defatigari, ac febris, quæ ante
lenis erat, exacerbata fuit.

Decoct. N. 1. copioso, ac aliquoties de
die Syr. Diacod. sumpto tussis lenita est,
ac circa 17. morbi diem prodeunte magna
sputorum coctorum copia insigniter levatus
est.

Vigesimo die febris penitus desit: con-
tinuarunt tamen sputa pauca per aliquot dies,
facile prodire, & æger brevi convaluit.

In his, qui exanthemata non habuerunt, crisis varia via facta est: plerique tamen oborto die 7. sudore, ac sæpius repetito undecimo die a febre liberi fuerunt.

Quidam & sudore, & alvo circa 14. diem judicati sunt, & omnes, qui hoc modo affecti fuere, feliciter curati sunt.

MENSES MAJUS

ET

JUNIUS.

Hisce duobus mensibus febris continua remittens cum exacerbationibus omni alterno die recurrentibus multos plethorici temperamenti tam viros quam fæminas affectit. Verum cum jam antea dicta methodo ad illos curandos usus fuerim, plura de illis dicere superfluum foret.

Fuere etiam hisce mensibus in nosocomio multi morbi inflammatorii, quos methodo jam ante dicta fere omnes curavi.

Allatæ sunt vero tres fœminæ, quæ prægressa aliquorum dierum lassitudine ingentem calorem, & sitim habere incœperunt, donec demum sub finem primi diei, vel secundo die accesserit validissima cordis palpitationo.

Binæ tertio morbi die ad nosocomium delatæ sunt, jam instituta Venæ sectione; verum pulsus adhuc plenus, durus, ac celerem admodum habuerunt, ac ideo utriusque unc. x. sanguinis vena educatæ sunt, ac vespere cum omnia fere in eodem statu deprehenderentur, eadem sanguinis quantitaseducta fuit. Pro medicamento habuerunt Rob. Sambuc. cum nitro, & Emulf. cum Diacod.

Nox fuit inquieta, infomnis, ac frequenti die eadem in pulsu durities, & celeritas, anxietas, & cordis palpitationo eadem, urina flammea sine nubecula. Hinc iterum e vena mitti debuit sanguis qui æque phlogisticus erat, ac in prioribus venæ sectionibus

bus. Hora tamen elapsa a venæ sectione remisit cordis palpitatione, pulsus minus durus apparuit, ac anxietas multum imminuta est: post meridiem somno pacato ægræ refectæ sunt, nox quoque sat tranquilla fuit.

Quinto die cordis palpitatione erat lenis, pulsus minus celer, & ad mollem accedens; urina minus rubra nubeculam in medio suspensam gerebat; sitis quoque minuebatur.

Noctu per plures horas dormiverunt, ac mane fere in eodem statu inveniebantur ac die quinto. Post meridiem vero incepit iterum cor valide, ac citissime pulsare, anxietas magna erat, pulsus debilis, inæqualis, & ægrarum vires prostratæ. Hinc loco ulterioris venæ sectionis vesicans sub mamma sinistra applicui eo cum effectu, ut cessarent palpitationes, & respiratio facta fuerit libera, pulsus quoque liberior, æqualior.

Diem 7. & 8. sat bene transegerunt, ac die 9. exonerata pluries alvo bona critica a febre liberatæ sunt. ultra binas hebdomadas finito morbo in nosocomio eas retinui, ut se ex morbo confirmarent.

Tertia ex his fœminis statim secunda die morbi ad nosocomium delata ter repetita venæ sectione, & medicamentis anti-phlogisticis copiose sumptis, die quinta & a febre, & cordis palpitatione sine sensibili evacuatione liberata fuit.

Vir quoque 35. annorum torosus, & plethorici temperamenti ad nos delatus est jam secundo die ægrotans. Morbus cum valido frigore subito illum mane, dum surgere vellet, sine cognita causa corripiente inceperat.

Manferat illud frigus in suo vigore ultra semi horam, dein sensim minutum calori urenti locum fecerat: accessit magna fitis, capitis dolor, delirium. Circa vespertas pau-

lisper

lisper sudavit æger, & cessavit delirium: calor, & fitis minus vehementes factæ sunt, noctu tamen æger non potuit dormire.

* Circa quartam matutinam incepit acutissimum dolorem in dextra dorfi parte circiter sesqui pollicem infra axillam percipere: accessit quoque tussis, & difficilis respiratio. Hoc in statu ad nos deferabatur.

Pulsus habebat sat plenum, durum, valde celerem: unde illico lib. i. sanguinis vena educebatur, brevi crusta densa, phlogistica tectus. Loco dolenti cataplasma emolliens applicatum est, omni bihorio renovandum: Medicamento illi fuit decoctum N. i. cui nitri dr. j. β. addebatur.

Post venæ sectionem dolor paulisper minutus est, & pulsus durities minor videbatur: tussis facilius erat: manebat tamen sicca.

Vespere præter Decoct. N. 1. cum nitro mediam partem Emulsi N. 3. haufit, ac noctu variis intervallis per 2. vel 3. horas dormivit.

Circa quartam matutinam tertiæ diei correptus est frigore, & totius corporis tremore; frigus vero, & tremor ultra horæ quadrantem non durarunt: postea calor auctus est, febris, & doloris acuties multum increverunt: ac dum accessi, inveni ægrum delirantem cum respiratione admodum celeri, interrupta subinde celeritate per inspirationem tribus, vel quatuor partitis inspiratiunculis peractam, tussis quoque frequens erat, & ficca: pulsus erat durus, inæqualis, lingua alba, ficca, & æger potum valde expetebat.

Hoc in statu venæ sectione eadem sanguinis quantitas, ac die præcedenti, educta est: erat sanguis æque phlogisticus. Respiratione post venæ sectionem major, liberior facta est, & pulsus minus inæqualis.

Cataplasmati emollienti, loco dolenti substitui fermentum panis cum seminibus sinapi, & paucō aceto: ac Enemate emolliente alvus educebatur cocta.

Paroxysmus febris tertianæ circa meridiem deferbuit, ac æger per horam sudavit: finito sudore aberat delirium: respiratio multo facilior erat, ac tussi subinde gluten paucum ejiciebatur: pulsus erat plenior, mollis, & dolor multum imminutus.

Noctu per plures horas dormivit.

Die morbi 4. respiratio non multum erat impedita, ac rubefaciens loco dolenti applicatum epidermidem in vesiculas elevaverat, & dolorem tantum obtusum tunc percipiebat æger: tussis erat rarior, & sputa semicocta sat facile prodibant: Post meridiem bis alvum habuit pultaceam, flavam, & sub vesp̄as ultra bihorium dormivit, noctem quoque sat quiete transegit.

Quinto tamen die mane rediit paroxysmus febris intermittens: verum inde dolor moderatus, qui supererat, non fuit exacerbatus: abfuit delirium: respiratio sat libera mansit, celeritate tamen multum excedens tussis erat frequentior, magis sicca: pulsus quoque celerior, subinde inæqualis, minus liber.

Quinques alvus cocta prodiit durante paroxysmo, qui circa vespervas copiosissimo sudore finitus est: abfuit tunc omnis dolor tussis rara admodum facta est, & æger fere tota nocte dormivit.

Sexto die vix febris indicium in pulsu percipiebatur, & omnia pleuritidis symptomata aberant: in sudores autem valde pronus erat æger: ut solo assumpto jusculo totus maderet.

Hoc die pro medicamento solum Emuls. N. 3. ipsi datum est: per diem non dormivit, verum noctem sat pacatam habuit.

Septimo morbi die mane cum leni frigore rediit paroxysmus febris intermittens : verum nec dolor lateris, nec tussis inde recruduerunt : pulsus, & respiratio sat libera manserunt : & vespere more solito copioso sudore desuit paroxysmus ægrum valde debilem relinquens. Cum vero nulla amplius prægressi morbi inflammatorii indicia conspicerentur, potuit Cortex Peruvianus exhiberi: hinc die octavo incepit omni bihorio unc. j. sumere sequentis mixturæ.

℞. Extract. Cort Peruv. dr. v.

Aq. Flor. Rhæad. unc. vj.

Vin. bon. Austriac. Mont. unc. ij.

Syr. Diacod. unc. j. β.

M.

Hoc die minus sudavit æger, noctu ultra 5. horas dormivit, & die nono paroxysmus vix sensibilis fuit : continuavit tamen in usu hujus mixturæ ad diem 14. quo cum optime

valeret, omni medicamento abstinuit, & sola bona dicta utens brevi vires recuperavit.

C A P U T II.

Pauca de Febris intermittentibus continens.

Medicamentis in arte usitatis sat facile curati sunt febris intermittentibus laborantes. Qui quotidiana tam autumnali, quam vernali affecti sunt, ab Rob. N. 4. citius levati, & curati fuerunt, quam ab aliis medicamentis. Ubi pectus affectum erat tussi ficca, vel humida, solum Decoct. N. 1. plures curavit.

Medicamenta salina, & conserv. ex antiscorbuticis maximam tertianarum partem sustulerunt. Accidit tamen, ut Cortex Peruvianus dari debuerit.

Quatuor ægros tertiana laborantes sequenti mixtura curavi.

℞. Spir. Sulphur. p. camp. dr. β.

Aq. Flor. Rhæad. unc. ij.

Syr. Diacod. dr. vj.

M. S. tribus horis ante tempus paroxyfmi fumatur uno haufu: & defuper decoctum Hordei pro libitu hauriat æger.

Quibus autem hoc medicamentum datur, debent habere corpus purum, ab omni infirmitate liberum, & pulmones bonos. Aliter fub paroxyfmo oritur tuffis, & febris vehementia augetur.

Debet repeti hæc dofis bis, vel ter, antequam paroxyfmus emanat.

Quartana febris nulli alteri medicamento melius ceflit, quam continuo ufui Decocti N 19. sæpe tamen poft hoc debuit Cortex Peruvianus exhiberi.

Ubi respiratio extra paroxyfimum, etiam difficilis erat in quartanis, multos curavi intra 7. 8. vel 9. dies, dando illis quater de die Kermes Mineral. gr. ij. fuperpoto Decocto

cocto Hordei. radic. Bardanæ, & Acetos. cum oxymelle simplici.

Plures, qui Kermes minerale non bene ferebant; infuso stipit. Dulcamaræ æque brevi temporis spatio curati sunt.


Tacere non possum casum foeminæ in octavum mensem gravidæ, quæ 20. Januarii anni 1761. ad nos delata est.

Hæc jam ab anno feбри laborabat, modo quartana, mox quotidiana, quæ subinde etiam in tertianam mutabatur: plures medicos consuluerat, & cortice peruviano jam sexies fugata fuerat febris; verum post paucos dies semper redibat, typum æque inconstantem servans, ac antea: postquam demum omnem substantiam in solvendis medicamentis consumpserat, ad nostrum nosocomium delata est, feбри tunc tertianæ typum jam a 15. diebus servante.

Habebat respirationem valde laboriosam sine tussi, & circa tertiam pomeridianam in-

gruens tertianæ paroxysmus ægram continuo videbatur trucidaturus: duravit ad sequentem diem mane, antequam deserbuisset.

Ob difficilem extra paroxysmum respirationem Cortice Peruviano jam toties incassum adhibito non licebat uti: unde infusum stipit. Dulcamar. ipsi exhibui, quo sensim respiratio facilior facta est, & paroxysmus 22. Januarii ingruens multo lenior fuit: postea bis tantum denuo rediit, dein penitus emanfit: & sub usu stipit. Dulcamar. respiratio omni die ita emendata est, ut intra 10. dies liberrima fuerit, & brevi post domum rediit ab omnimorbo libera. De febribus autem intermittentibus postea pluribus agam.



CAPUT TERTIUM

De mira *Cicutæ* efficacia in difficillimis
ac multis olim pro incurabilibus habitis
morbis

CASVS PRIMVS.

Mense Martio anni 1760. dum magnificus Archiater Antonius *Störck* vir labore indefessus, & in determinandis medicamentorum viribus & efficacia in morbis curandis, animi perspicacia adeo felix, ægris Nosocomii solus adhuc medicinam faceret; allata est fœmina 35. annorum jam in tertium mensem *Ascite* laborans: tactu tunc præter

aquam in abdomine nihil deprehendebatur, & ægra doloris expers erat.

Dedit ipsi magnificus vir ea, quæ evacuandis aquis idonea erant, quæ ego quoque, dum ipsi Mense Aprili adjungerer eo cum effectu continuavi, ut initio Junii ab Ascite omnino libera esset, & in functionibus læsio nulla animadverteretur: curato ascite in abdomine tumor durus circiter duorum pugnorum virilium magnitudine ex hypochondrio sinistro emergens, pollicem circiter infra cristam ossis Ilii, dum sedebat ægra, extensus, in decubitu minus descendens, mobilis manui tangenti se obtulit: sumpsit ægra varia medicamenta solventia: verum nullo modo mutatus est tumor: unde omnia cum incassum adhiberentur, ad cicutam confugi, & 14. Julii ægræ extracti cicutæ gr. xij bis de die per tri-duum exhibui, ut viderem, an bene ferret: nihil autem inde mutabatur.

Hinc 17. incepit scr. j bis de die sumere: tantum levia alimenta ipsi exhibebantur, & monebatur, ne vel cibi titulo, vel potus, talia ingereret, quæ stimulo suo circulationem nimium excitarent, & acrimoniam in corpus inducerent.

Urina copiosa prodibat, & alvum liberam reddebat enema omni alterno die injectum; erat enim per sex primos dies, quibus cicuta utebatur, valde adstricta, postea vero sponte omni die solvebatur: reliquæ autem functiones bonæ erant.

29. Circa vesperam levem dolorem conquesta est in loco tumoris, & minus bene dormivit.

30. Dolor ille levis adhuc aderat, sed tumoris moles paulisper minui videbatur.

Sumpto leni purgante cessavit dolor, & somnus denuo optimus subsequutus est.

Perrexit in solita cicutæ dosi: quotidie semel, aliquando etiam bis de die alvum costam

ctam mollem deponens, donec 11. Augusti ob appetitum prostratum dr. j Rhei electi in pulvere sumperit, unde pluries purgata est cum appetitus emendatione: manifeste autem tum temporis tumor in omni dimensione minuebatur, quod & mecum observavit magnificus *Störck*.

Sub usu cicutæ continuato ita minutus est tumor, ut 30. Augusti media sui parte disparuisset, & residuum multo mollius esset; facile sursum sub costas movebatur, dextrorsum vero & sinistrorsum minus facile.

Vires adeo bonas habebat ægra, ut veniam petierit ad solitos labores redeundi, promittens se ad me venturam & medicamentis usuram, donec residuum tumoris perfecte dispulsum esset.

Metuens autem ego, ne nimio corporis exercitio sibi noceret, in Nosocomio illam retinui, & permisi, ut subinde in libero aere deambularet.

Itaque mensem Septembrem in Nosocomio transegit, eadem cicutæ dosi utens, ac omni octiduo haustu N. 1. purgata.

Ultima Septembris ægram mecum examinavit magnificus *Störck*, & cum nullum præteriti tumoris vestigium superesset, paucis post diebus licuit ipsi Nosocomio discedere: dedi tamen ipsi unc. j Extracti cicutæ in pillul. gr. iv. redacti, ut bis de die N. 3. fumeret.

Mense Februario anni 1762. eandem ægram alio morbo laborantem in Nosocomio curavi, & abdomen diligentissime examinatum ubique æqualiter molle deprehendebatur.

CASVS SECVNDVS.

Juvenis 25. annorum ob Peripneumoniam, qua affectus erat, ad Nosocomium 12. mensis Junii delatus, aptis remediis intra 9. dies morbo hoc liber fuit. Annum autem tumorem, durum, scirrhosum, ovi anserini medicocris magnitudine in latere colli sinistro, angulo

gulo maxillæ inferioris continuum, & usque ad posticam auris partem extensum gerebat, cujus curationem enixe optabat, quapropter illum in Nosocomio retinui.

28. Junii incepit cicuta uti, ac bis de die pilul. N. 3. gr. iv. sumpsit: externe vero toto die fovebatur tumor cicutæ decocto, noctu emplastro tegebatur ejusdem nominis.

4. Julii, nulla a dicta cicutæ dosi nec in tumore, nec in functionibus mutatione observata, incepit bis per diem Extracti cicutæ scr. j fumere: vires optimas habebat, tantumque appetitum, ut loco carnis vitulinæ bubula ipsi concessa fuerit.

12. Calorem majorem & dolores lancinantes in tumore conquestus est: pulsus utcumque febrilis deprehendebatur: carnibus abstinuit æger, & folis levioribus alimentis nutritus perrexit iisdem medicamentis uti.

13. & 14. Eadem continuarunt symptomata: nec tamen ulla mutatio vel in colore, vel
in

in duritie tumoris aderat : sumpsit æger præter cicutam emulsum cum diacodio.

15. Omiffa cicuta, cum dolores majores effent, solo emulfo ufus est.

16. Die tumor rubebat, & in medio magis elevatus erat, dolores quoque in eodem fere ftatu remanebant; pulfus erat febrilis; fitis utcunque magna; appetitus fat bonus; alvus naturalis.

Febris, dolor, rubedo, & elevatio mollis fcirrhofæ nullum metum incufferunt; quin potius fpem fecerunt brevi futuram in tumore fuppurationem: cicuta tamen abftinuit, cujus loco emulfis refrigerantibus ufus est ad 19. Julii, qua cum febre careret, denuo incepit eandem ac antea cicutæ dofim fumere: erat tunc tumoris apex livefcens.

Dolores fenfim minuti funt, & æger omnes functiones optime peragebat, appetitusque ita increvit, ut præter alia alimenta facile digerenda, leviores carnes ipfi fub finem Julii concedi debuerint.

4. Augusti aliqua fluctuatio in superiori tumoris parte aderat, & totus tumor suæ duritiei multum amiserat; color in superiori parte livescens, manebat in ambitu naturalis.

Perrexit ut ante æger in usu cicutæ interno & externo, non multum dolens: sensim magis elevabatur tumoris apex, & moles dura quotidie magis magisque suppurando minuebatur.

11. Augusti sponte apertus est tumor, & magnam copiam puris tenuis, flavescens, hinc inde striis nigris intermixti, subfoetidi fudit: hoc modo duæ tertiæ partes disparuerunt, remanente in ambitu circulo duro: parum autem admodum dolebat æger, & perrexit scr. j extracti cicutæ bis de die sumere: tumor emplastro cicutæ continuo tectus, infuso cicutæ per diem diligenter fovebatur.

Omni die bis deligatus tumor pus dabat copiosum fat bonum.

Sub finem Augusti suppuratione consumpta erat durities : cicuta tunc abstinuimus, & ulcus Emplastro Dyachylon cum gummatis tegebatur: hoc modo circa medium Septembris ulcus cicatrice obductum fuit, & paucis post diebus domum æger rediit sanus.

CASUS TERTIUS.

Puella 27. annorum jam a sesqui anno genu dextrum tumidum & durum habebat; reliquæ erant arthritidis, qua per tres hebdomadas laboraverat. Illius cruris usu ab eo tempore carebat: cæterum optima sanitate fruebatur.

Præmisso purgante, 4. Augusti dedi ipsi bis de die Extracti Cicutæ gr. xvj. & externe fomentum plantæ-hujus applicabatur.

Octava Augusti ter eandem dosin per diem sumpsit: sic continuavit sine ulla mutatione sensibili, licet quoque purgans omni octiduo sumeret, ad 24. ejusdem mensis:

cæterum pergebat optime habere , & omnibus in nosocomio usitatis alimentis vescebatur

Cum autem nullam in tumore mutationem animadverterem , dosim medicamenti auxi , ac quotidie dr. i. Extracti Cicutæ sumendam in mixtura exhibui.

5. Septembris speciem formicationis se in genu percipere ajebat : Crus quoque, quod fere immobile hucusque fuerat, paulo melius movebatur ; tumor tamen nec mole, nec duritie mutatus erat.

10. Genu paulisper mollius apparebat, & cruris motus adhuc liberior erat.

Sub usu Cicutæ tumoris moles & durities sensim minui postea manifeste conspiciebantur ; cum tamen circa 17. Septembris dolores in genu antea parvi intenderentur, purgans bis ipsi dedi, & interno Cicutæ usu abstinuit per aliquot dies : postea vero, si bis purgans datum excipias, sine interruptio-

ne bis de die Extracti Cicutæ Scr. i. sumpsit, usque ad 23. Octobris, qua illam cum Magnifico *Störck* examinantes, vidimus tumorem disparuisse, crus facile in omnem partem moveri, minus tamen firmum, quam ut illi insistere posset ægra.

Applicatis autem per 15. dies fomentis ex herbis aromaticis paratis robur rediit, & ægra baculo adjuta per cubiculum ambulare potuit: 20. Novembris nosocomio exivit libero cruris usu gaudens. Ab eo tempore sæpius illam in plateis vidi optime valentem: toto tempore curæ functiones omnes optimæ permanserunt.

CASUS QUARTUS.

PUella 15. annorum catameniis nondum gavisa, anno 1760. sub finem Augusti ad nos delata est, jam in 11. mensem cruris dextri usu carens ob genu tumorem, qui sine cognita causa ortus sensim increverat ita,

ut nunc fere duplo majus esset hoc genu quam alterum.

Crus paulisper retroflectere poterat, verum cum magno dolore: genu circumcirca durum erat & dolens. Purgans bis alterno die sumpsit ægra, & tertia Septembris incepit Cicuta uti.

Dabantur ipsi bis de die Pilul. N. III. gr. iv. & externe fomentum de Cicuta applicabatur.

Septima Septembris bis de die Extracti Cicutæ Scr. i. fumere incepit, & post paucos dies jam minui videbatur durities tumoris, qui 17. Septembris tertiam suæ molis partem amiserat, ac ad latus rotulæ internum pressus in latere externo cutim magis elevabat, manifesta que fluctuatio aderat: Quæ ostendebat materiam antea spissam, tenacem, pro parte jam fusam esse.

Continuavit ægra cicuta interne & externe uti ad 24. Septembris, qua tumor
ubi-

ubique mollis in parte interna, ubi fluctuatio aderat, magis elevabatur.

Dedi tunc pulv. N. 10. quo optime purgata est cum doloris remissione. Idem pulv. post biduum repetitus est, dum externe foveretur continuo pars decocto Cicutæ. Post triduum eundem pulverem sumpsit: verum licet hoc modo magna per alvum evacuatio fieret, nihil tamen in mole tumoris mutabatur.

Applicuit tunc externe Dominus *Haffner* fomentum ex herbis Absynthii, Marrubii, Rutæ &c. cum addito sale Ammoniaco paratum. a 24. Septembris Cicuta abstinuit.

5. Octobris adhuc semel purgans sumpsit, verum quamquam adhuc bene purgata sit, & fomentum illud solvens & discutiens diligentissime applicatum fuerit, mansit eadem tumoris moles & dolor in toto genu ortus est sat magnus.

Tumores lymphaticos cum successu sæpius aperuerat expertissimus Dominus *Haffner* curante Magnifico Domino *Störck*; hinc cum spem non haberemus evacuandæ alia via materiæ, & metus esset, ne sensim acrior facta, omnia successu temporis destrueret, aperturam tentandam esse conclusimus.

Ut tamen materies facilius per parvum foramen efflueret, Cicutæ Extracti. g. xvj. in pilulas redacti denuo bis de die per octiduum ab ægra sumptis, & fomento Cicutæ diligenter externe applicato, quod forte in tumore adhuc nimis tenax supererat, attenuare conati fuimus.

Dolores continuarunt magni esse; minores tamen, quam dum cicuta abstinebat.

14. Eiusdem Octobris expertissimus Dominus *Haffner* ad latus internum rotulæ, ubi major elevatio erat, parvam aperturam fecit, per quam magna copia materiæ partim tenuis, partim glutinosæ tenacis effluxit,
unde

unde genu valde collapsum est. Deligavit deinde sine turanda, applicato cicutæ Emplastro & desuper fomento ejusdem plantæ.

Post paucos dies vulnusculum consolidatum erat, cum tamen hoc genu adhuc paulo majus mole esset, quam aliud, continuavit in – & externe cicuta uti ad 28. qua potuit sine baculo incedere, sensimque ita assuevit deambulationi, ut circa medium Novembris nosocomio egredi potuerit nullo superstitite prioris mali indicio.

CASUS QUINTUS.

JUvenis 17. annos natus initio Augusti ad Nosocomium deferebatur, pertinaci tussi, qua præter mucum tenuem nihil ejiciebatur, jam a 15. diebus laborans: gerebat præterea æger tumorem valde durum, ab angulo maxillæ sinistrae ad mentum fere usque sub maxillam extensum, magnæ molis: jam in tertium annum juveni molestus erat hic tu-

mor, quem variis interne & externe applicatis medicamentis per fessui annum aggressus nullo modo mutaverat.

Primum curanda fuit tuffis, quæ spatio trium hebdomadarum remediis cessit demulcentibus. Ablata tuffi æger omni medicamento abstinuit per 10. dies, quibus vires optimas acquisivit: quapropter ipsi roganti 6. Septembris Cicutam exhibui.

Per 5. primos dies gr. xij. mane & totidem vesperi sumpfit, undè appetitus multum acuebatur. Diurno tempore tumor decocto diligenter fovebatur, noctu vero Emplastrum decocti vices præstabat.

Ab 11. ad 16. diem Septembris pilul. iv. gr. iv. bis de die sumpfit: quo tempore nulla mutatione in tumore observata, & dato 17. purgante N. 10. 18. bis de die pilul. vj. gr. iv. fumendas exhibui.

His per 4. dies usus incepit fornicationem in tumore percipere: continuavit tamen
ean-

eandem Cicutæ dosin sumere per 6. alios dies, quo tempore fornicatio in dolorem leniter urentem mutata est. Cæterum omnes functiones bonæ erant, & quotidie semel vel bis alvus deponebatur cocta, pultacea: tumor sub angulo maxillæ paulisper elevabatur, ac tactu elasticus, minus durus deprehendebatur.

Continuavit æger ad 7. Octobris eadem Cicutæ dosi uti: qua die febricitavit, dolor multum auctus erat; tumor in omni ambitu major, minus renitens, & sub angulo maxillæ mollities percipiebatur; capite dolebat, appetitus tamen manebat sat bonus, & alvum bonam sæpius bis de die continuabat deponere.

Perrexit Dominus *Haffner* decocto Cicutæ per diem locum fovere, & noctu ejusdem emplastro tumorem tegere.

Omissis carnibus æger folis levioribus alimentis nutriri cepit, & loco Cicutæ Emulso cum Diacodio usus est. H 5 Fe-

Febris lenis duravit per quatrimum cum siti moderata, ad quam sedandam decocto Hordei cum melle utebatur æger. Omni nocte per 4. vel 5. horas variis intervallis dormivit.

12. Octobris penitus Apyretos erat: manifesta tunc fluctuatio in medio tumoris percipiebatur: dolores in hoc parvi erant, & Cephalalgia defierat, appetitu autem carebat æger, quem sumpta 13. die Rhei. elect. dr. 1. sensim recuperavit, ac paucis diebus postea carne teneriori vesci denuo incepit, & priorem Cicutæ dosin denuo sumere.

Perrexit quotidie tumor suppuratione magis magisque molliri, & 20. Octobris tantum margines circumcirca duri percipiebantur: reliquum omne suppuratum erat.

Solo tunc emplastro cicutæ diu noctuque tumor tegebatur, ne continua calidi fomenti applicatione nimis cito macerata cutis rumperetur, & pus ad reliqui tumoris maturationem

tionem necessarium effunderet : incepit tunc æger solummodo pilul. iij. gr. iv. bis de die fumere.

27. Cum jam margines tumoris fusi essent, præter partem parvæ nucis juglandis magnitudine, pollice ab angulo maxillæ remotam, tumor sponte in medio apertus est, unde magna copia puris tenuis subflavescentis, striis subnigris intermixti effluxit, nullo modo fœtens : totus tumor sic evacuatus est, præter partem illam prius memoratam. Ulcus tegebatur emplastro diachylon cum gumm. & desuper fomentum de Cicuta applicabatur.

Continuavit omni die effluere pus optimæ consistentiæ quantitate sensim minuta, donec circa medium Novembris ulcus cicatrice obduceretur.

Licet toto hoc tempore continuerit dictam Extracti Cicutæ dosin fumere, nullo modo mutata est pars dura, post suppurationem reliqui tumoris residua, & æger hoc

pau-

pauxillum nihili faciens 20. Novembris ad suos fanus rediit.

CASUS SEXTUS.

Puella 23. annorum circa medium Junii ad nos venit, catameniis jam ab anno carens, chlorotica, debilis: tumores glandulosos, duros jam a binis annis habens, unum nempe ovi anatis magnitudine sub parte dextra maxillæ inferioris: alium paulo majorem sub mento & unum triplo majorem ex duobus aliis non perfecte divisis constantem sub parte sinistra ejusdem maxillæ.

Prima cura restituendis catameniis adhibita, partim Theriacæ Diatesaron, partim pilularum ex gummatibus aromaticis usu, per bimestre continuato, adhibito simul sub finem secundi mensis aliquoties balneo pedum ex herbis aromaticis parato.

17. Augusti prædierunt menses sat copiosi, qui per 4. dies optime fluxerunt, quibus

bus elapsis ægra optime habebat: nulla autem a copiosis solventibus, quæ per bimestre spatium sumpserat, in tumoribus mutatio facta fuit.

Hinc 24. Augusti incepit gr. xvj. extracti cicutæ bis de die sumere, ac cum per octiduum immutata hanc dosin sumpsisset, prima die mensis Septembris ter de die eandem dosin sumpsit, hancque continuavit.

Nulla ad medium usque hujus mensis observata est mutatio; tumores in eodem statu permanferunt indolentes; functiones omnes optime peragebantur, & ægra alvum quotidie semel, quandoque etiam bis, coctam, pultaceam deponebat.

17. Septembris videbatur moles tumorum, qui in latere sinistro, & sub mento erant, paulo minor, ajebatque ægra, se jam ab hesterno die sæpius sensum animalculorum repentium in horum tumorum substantia habuisse: nulla functionum præternaturalis deprehendebatur. Ea-

Eadem Extracti Cicutæ dosi continuavit uti , & post triduum ille sensus repentium animalculorum fiebat leniter dolorificus , dictosque tumores mole minui , tunc clarius patebat: pulsus erat naturalis, & quoad omnia bene habebat.

20. Dato ipsi Mafs. Pilul. Ruffi. Scr. i. cum additis Scammon. gr. iv. novies alvum deposuit , & noctu menses prodiere , qui per 4. dies debite fluxerunt.

Abstinuit ægra omni medicamento ad 26. Septembris, qua solita Pilul. Cicutæ dosi iterum incepit uti. Erat tunc tumor sinistri lateris multum minutus, & in duos minores perfecte divisus, minus durus: idem observabatur in eo , qui sub mento hærebat ; lateris vero dextri tumor immutatus permanebat , & indolens , in aliis pergebat subinde fornicationem percipere.

Perrexit ægra hoc modo ad mediam Octobris usque , sumebat nempe dictam Extracti Cicu-

Cicutæ dosin per 5 dies, & omni sexto die Mafs. Pilul. Ruffi. Scr. i. unde pluries purgabatur.

Hac methodo eo perventum est, ut circa medium Octobris tumor, qui sub mento erat, penitus disparuerit, & in sinistro latere tantum duo parvi tumores nucis avellanæ magnitudine superfuerint, valde duri, qui visu nullo modo animadvertentur: tumor vero, qui dextrum latus occupabat, ejusdem molis erat, ac ante cicutæ usum. Hoc in statu puellam vidit magnificus *Störck*, qui tempore curæ illi sæpius mecum adfuerat, viderunt & plures alii expertissimi viri.

18. Octobris iterum proruperunt menstrua, quorum fluxus quatuor dierum intervallo absolutus est.

25. Iterum incepit cicuta uti, & continuavit usque ad 8. Novembris, qua ad solitos labores redire voluit.

CASUS SEPTIMUS.

Puella 24. annorum sub finem Augusti 1760. ad nos deferebatur cum tumore duro, tarsum pedis dextri occupante, qui ante 5. menses sine nota causa ortus, brevi temporis spatio ita increverat, ut pedis malleoli a reliquis partibus nullo modo distinguerentur. Initio quidem doloris expers prementi digito cedebat, & cruris usus, licet minus liber esset, non tamen penitus erat impeditus, donec cineribus calidis & similibus applicatis in duram massam dolentem, omnem motum pedis impediens concreverit. In hoc statu ad nos delata est.

Cum in omnibus reliquis sana esset ægra, præmissis purgante statim ad cicutam devenimus. Dosis ab initio fuit extracti cicutæ Scr. i. bis de die, & externe decocto cicutæ fovebatur tumor.

Circa medium Septembris incepit ægra omni die extracti cicutæ dr. i. fumere, cum
qua

qua continuavit, interposito omni 12. vel 14. die purgante, usque ad 17. Novembris, qua tumor multum collapsus, & ubique mollis deprehendebatur.

17. Datae sunt ægræ Pilul. purg. unde pluries purgata est, has pilulas dein omni quinto die sumpsit, & diebus intermediis solita extracti cicutæ dosi usa est.

Sic tumor in parte pedis externa sensim ita minutus est, ut sub finem Decembris tantum malleolus internus paulisper tumeret.

Omni medicamento interno postea abstinuit: cum tamen, licet pedem sat facile in omnem partem moveret, illi per pauca tantum minuta insistere posset, fomentis ex cicuta, & admixtis variis herbis discutientibus fatus est pes: hoc modo mensem Januarium transegit, quo tempore tantum bis purgans ex Rheo assumpsit, & sine ulla arte alia tumor integre disparuit.

Motus tamen valde impeditus manebat, & vix aliquot præ dolore passibus incedere audebat: pedem quoque hinc inde manu movendo audiebatur strepitus in articulo quasi a ligamentis humido lubricante orbatis.

Ad hanc ficcitatē superandam usā est ægra balneo ex herba cicutæ & aliis solventibus & emollientibus herbis parato, quo licet exacte per tres menses usā fuerit, non facilius incedebat; dolor tamen multo lenior erat.

Initio Aprilis cum hac methodo nihil effici videremus, infusum Arnicæ ipsi exhibui.

Hoc medicamentum toto mense Aprili assumpsit, & tunc sat commode bis vel ter lento passu ab una parte cubiculi ad aliam baculo adjuta ire poterat; strepitus tamen, dum pes manu movebatur, fere æque magnus audiebatur.

Coacti fuimus illam adhuc per aliquod tempus in nosocomio retinere, ubi sensim li-

berum pedis usum recuperavit , & ex nosocomio sana dimissa fuit.

CASUS OCTAVUS.

Fæmina 25. annorum ad nos 12. Septembris anni 1760. ob ingentes ac fere intolerabiles omnium artuum dolores , quos noctu præcipue patiebatur , delata est.

Hos dolores jam a pluribus annis tolerabat , adeo autem increfcebant , ut tunc diu noctuque lecto affixa manere cogeretur.

Tumores glandulosos duros , colli anteriorem partem cingentes jam in quartum mensē gerebat ; in osse bregmatis dextro tophum cum dolore fixo circa futuram coronideam habebat ; cutis universa a quatuor hebdomadis scabie deturpabatur , & totum corpus valde emaciatum erat.

Simul & fatebatur se jam a sex annis fluore albo admodum acri laborare , ac sæpius ob dolores urentes difficulter urinam mittere.

Pulsus erat febrilis, & per intervalla febris valde intendebatur: hinc pro medicamento dedi decoctum sassapar: & potus ordinarius illi fuit copiosum decoct Hord. radicum Bardanæ & Acetosæ cum lacte mixtum.

Hac methodo intra 8. dies a febre libera fuit, licet dolorum levamen vix ullum animadverteretur.

Continuavit iisdem medicamentis uti ad 27. Septembris, qua incepit bis de die assumere cochleare sequentis.

℞. Spir. Frumenti lib. β

Mercur. Sublim. Corros. gr. iij.

Desuper potabat prius decoctum, cujus mensuræ I. lact. mens. β addebatur, ut totum Nycthemeri spatium absumeret.

Jam prima die tussis prehendebat ægrum, & augebatur ita, ut tertio die a Spiritu Frumenti abstinere debuerimus. Cum jam toties expertus fueram, cicutam licet
sum-

summis viribus solventibus præditam nullas tamen in corpore turbas excitare, statui experiri, quid in hac jam adeo provecta lue efficeret: unde incepit ægra prima Octobris Pilul. N. 3. gr. iv. bis de die fumere: cibus facile digerendis alebatur, & pro potu ordinario prius decoctum fumebat.

8. Octobris cum nihil mutari videretur, Pilul. N. 5. gr. iv. extracti cicutæ bis de die illi exhibitæ sunt. Lac recusavit, & maluit decoctum solum fumere.

Diu noctuque ad finem hujus mensis eisdem fere dolores conquesta est: corpus tamen fiebat magis torosum, & vires crescebant: tres tumores in colli sinistra parte manifeste mollebantur; appetitus vigebat, & alvus semel, quandoque bis quotidie liquida exonerabatur: fluor albus æque copiosus, minus acris erat, & rarius, dum urinam mittebat, dolores urentes patiebatur.

Ultimis Octobris diebus dolores diurnos, nocturnosque artuum minores fieri gaudebat.

Initio Novembris bis de die extract. cicutaë gr. xxiv. sumpsit, qua dosi per integrum mensem usa est.

Toto mensis decursu appetitus fuit bonus, alvumque omni die bis, aliquando etiam ter deposuit; fluor albus minutus est; tres ex tumoribus colli sub finem mensis fere integre suppuratione consumpti aperti sunt, unde pus subflavum, copiosum effluxit: eodem autem tempore ad reliquos tres, qui supererant, & qui jam minus duri videbantur, adjunctus est novus sub mento ortus. Dolores per diem fere integre filebant, & cum noctu quoque multum leniti essent, somnus pacior diutius protrahebatur.

7. Decembris cum nimiam ciborum ab amicis allatorum quantitatem comedisset, incepit ventriculo dolere, anxia fieri, valde sitire, & noctem valde inquietam transegit:

fe-

sequenti die mane accedens eadem symptomata inveni, & pulsum celerem, inæqualem. Abdomen erat tensum, & alvo a matutino tempore præcedentis diei adstricta.

Præscriptus est ipsi haustus N. 10. & illico injectum est ipsi enema leniter purgans, unde bis alvum habuit. Post meridiem sumpto haustu septies purgata est, unde anxietas fere omnis sublata fuit: nox tamen fuit inquieta, & sequenti die mane pulsus æque celer, minus tamen inæqualis deprehendebatur: lingua erat ficca, sitis sat magna, temporum quoque dolor magnus aderat, multoque vehementius dolebat capitis parte sinistra circa commissuram ossis frontis cum Osse Bregmatis, ac dolor attactu augebatur: tophus vero in Osse Bregmatis dextro fere integre disparuerat, fluor albus, qui hucusque, licet minus copiosus, duraverat, nunc penitus aberat, & urina erat rubra sine nube-
cula.

Copiosum potum ægræ commendavi & Emulsum refrigerans præscripsi, ut de hoc omni bihorio unc ij. fumeret: pedum plantis epispastica applicata sunt.

Post meridiem ultra tres horas per intervalla dormivit, & noctem præ doloribus capitis valde malam habuit.

10. Mensis die, quæ erat 4. morbi, pulsus erat minus febrilis: verum capitis dolor intendi videbatur, ac ideo latum vesicans Nuchæ applicatum est. Mane alvum bis egresserat coctam, & urina minus rubra, parvam nubeculam in medio gerebat. Continuavit ægra copiose potare, ac præter Emulsum dictum, quia tota die insomnis fuerat, vespere unc. i. Syr. Diacod. cum Laud. Liq. Syd. gtt. v. assumpsit, a quo secutus est somnus quatuor horarum.

5. morbi die febris admodum lenis erat; lingua humida, cutis antea ficca, nunc æqualiter sudore madebat: dolor tantum in sinistra capitis parte, ubi

ubi antea illum attactu augeri memini, permanebat, & miseram eadem sævitie, non obstante valida vesicantis operatione excruciat.

Abrasis capillis loco dolenti fomentum calidum ex aqua, aceto, vino & sale ammoniaco applicuit expertissimus Chirurgus, & loco Emulsi sumpsit ægra conserv. antiscorb. cui pulv. Cortic. & ligni Sassafr. dr. 1. β & Stib. Diaph. o abl. dr. 1. additæ erant.

6. Morbi die five 12. Decembris Apyretos erat, verum dolor idem permanebat, & paucum somnum capere poterat.

Dictis medicamentis continuatum est ad 20. Decembris absque levamine.

20. Loco dolenti abrasis de novo capillis emplastrum de Meliloto applicuimus, & Nuchæ alterum vesicans: sequenti die mane haustum purgantem N. 10. sumpsit, unde octies copiosa alvus mota fuit: verum hæc omnia nullum levamen attulerunt.

Patebat materiem morbosam tenacem Vascula Cranii vel Pericrarii admodum petinaciter obstruere, cum hucusque adhibita solventia & revellentia nullam mutationem effecissent. Hinc ad Extractum Cicutæ quod princeps inter solventia & aperientia toties in aliis casibus, ac etiam in hac ægra deprehenderamus, redire statuimus, & priorem cicutæ dosin Pilul. nempe N. 6. gr. iv. bis de die sumendas exhibuimus; locum dolentem emplastro de Meliloto tectum servavimus.

Hac methodo ad finem Januarii continuatum est, & ægra quoad omnia, præter dolorem illum in cranio fixum, sat bene habuit: alvus quotidie semel vel bis prodiit; parum sitiit, appetitum bonum acquisivit.

Circa medium Januarii, cum prius aperti tumores fere integre cicatrice obducti essent; aperti sunt duo alii, qui quoque suppurati pus dilutum flavum dederunt; verum
sub

sub finem Januarii alter novus renatus est in latere colli sinistro. His tumoribus Emplastrum & fomentum de cicuta ante & post aperturam continuo applicabatur.

Initio Februarii ter de die Pilul. N. 6. gr. iv. incepit fumere, & externe loco dolenti Empl. vesicans appositum est, quod multum feri eduxit, unde aliquod levamen percepit ægra: locum apertum & fluentem servavit Dominus *Haffner* per 15. dies: verum dolor permanfit, & renascente Epidermide ad priorem acutiem rediit, purgante, quod ob alvum non respondentem ter dari debuit, nullo modo lenitus. Sat tamen pacatas noctes habebat ægra, & in reliquis functionibus vix læsio animadvertebatur; locus Emplastro de cicuta tectus manebat.

Sic fuit ad finem usque Februarii.

Toto mense Martio eadem interne & externe adhibita sunt, per quod tempus sequentia observanda fuerunt. Scabies, quæ hucusque

usque perstiterat, immo aucta fuerat, disparuit, sex tumores, qui aperti erant, Cicatricem fœdam formarunt: alter apertus est, & eandem materiam dedit, ac priores: dolor capitis obtusior factus est, in loco autem capitis dolente externa mutatio nulla aderat.

Sexta Aprilis, cum eadem medicamenti dosi pergeret uti, locus dolens incepit elevari & tumorem formare oblongum, duriusculum, figura & crassitie ad ficum mediocrem accedentem: hoc viso locus Emplastro cicutaë tectus, decocto ejusdem plantæ incepit continuo foveri & interne eandem dosin Extracti perrexit sumere.

12. Menses, quibus per plures annos caruerat, prodierunt, & per tres dies & medium debite fluxerunt: nec sub horum fluxu ægra cicuta abstinuit.

20. Tumor major erat, mollior & obscura fluctuatio in eo detegebatur.

Sub finem Aprilis sponte facta est parva apertura, ex qua paucum pus dilutum flavescens, subfoetidum, exstillabat cum dolore levamine.

Præter priorem extracti cicutæ dosin incepit tunc ægra quater per diem unc. iv. decoct. lignor. sumere.

Perrexit tumor magis magisque molliri; paucam tamen fundebat materiæ copiam, quæ cum sensim foetida magis fieret, & metueremus, ne os, quod sui corruptionis signa manifesta dabat, latius inficeretur a retenta sub integumentis materia acri putrida, 5. Maji aperturam majorem fecit expertissimus Dominus *Haffner*, ex qua tria frustula ossea friabilia cum pure tenui, flavescente, foetido prodierunt; profunditatem dein ulceris stylo examinans in ipsum cranii cavum penetravit ad duram matrem usque, quam pulsantem sentiebamus.

16. Maji dum ad nosocomium veni, omnia purgaverat Dominus *Haffner*, & corrupta prudenti manu auferendo, foramen in cranio ibi loci integre corrupto & fragili fecerat rotundum circiter magnitudine monetæ, quam septimam dicimus, per quod magna duræ matris pulsatio, pulsui in carpo correspondens conspectui se objiciebat: ac licet tantum ante bihorium deligasset, tamen pulsans dura mater copiosam adhuc materiam ex cranio foras trudebat, tenuem, purulentam subflavam, subcœtidam. Hæc materia, dum caput in sinistrum latus inclinabatur, fere continuo rivo effluebat: tussis quoque cessantem materiæ effluxum de novo refuscitabat.

Tota pars lateralis sinistra capitis & media frontis pars dolorifica erat: oculi ejusdem lateris palpebræ tumbant, oculo, qui valde retrotractus ob palpebrarum tumorem videbatur, acute dolebat, oculus dexter sanus erat; integumen-

ta capitis ad pollicis latitudinem a foramine circumcirca abscedebant, quorum pars propinquior foramini in sphacelum abierat, reliqua vero, licet male affecta, adhuc aliquid sani conservabat. Partem sphacelatam abscidit expertissimus Chirurgus & reliquam hinc inde disciditne materies acris sub illis retenta os magis corrumperet.

15. & 16. Maji pro medicamento tantum dictam dosin decocti lignorum cum media parte lactis habuit: ac pluries de die ob materiæ copiam ulcus deligari debuit: post quamcunque deligationem linteis carptis balsamo Peruviano medicatis tegebatur & lintea quadruplicata decocto cicutæ imprægnata desuper applicabantur.

17. Inveni ægram delirantem cum pulsu celeri, inæquali, molli: respiratione frequenti, lingua arida, siti, & appetitu magnis: alvum noctu bis deposuerat coctam, urina erat rubra, sine nubecula, cutis humida.

Pro

Pro medicamento claretum ufitatum habuit, & Emulfionem cum Diacodio alternis vicibus fumenda; copiofe potavit ægra decoctum hordei: Rad. Bardanæ & Acetofæ.

Per quinque dies fumpta hæc medicamenta nihil in ægra mutarunt, manfit enim delirium, pulfus idem &c. materies ejusdem notæ ac antea copiofe effluxit, delirium quoque continuum non abftulit fenfum doloris, quem in offibus frontis, Bregmatis, ac temporis finiftri, oculoque percipiebat hiſce diebus a tumore liveſcente palpebrarum fere obturato: ſubinde tamen ægra ſomno per horæ unius ſpatium & ultra capiebatur minime reficiente.

22. Quæ erat ſexta febris, ceſſavit capitis dolor; materies minori copia ex cranio effluxit, ſed ægra incepit angi, & brevispirio laborare, pulfus factus eſt debilis, intermittens, & ægra vix poterat loqui; alvum
coctam

coctam mane deposuit : urina vero tempore nocturno missa, pallida erat.

Hac die usa est Emulso N. 17. cujus dupla dosis omni trihorio illi propinabatur : bina vesicantia furis applicata sunt, & ter tempore diei unc. j. Syr. Diacod. assumpsit, ut spasmi forte a materia acri circa vitalia & alibi excitati relaxarentur, & functionum exercitium liberius relinquerent.

• Post mediam noctem per trihorium dormivit, ac copiose sudavit.

23. Mane inveni ægram facile spirantem cum pulsu magis pleno non amplius intermittente : minus delirabat, & obtusum capitis dolorem conquerebatur ; lingua humescebat, urina subfusca enæorema nigrescens in fundo gerebat ; tota superficies corporis maculis scatebat partim petechias rubras, partim maculas latas scorbuticas, subfuscas referentibus : materies ex cranio effluebat, ut die præcedenti.

Loco Emulsi camphorati omni bihorio alternatim cum Clareto N. 8. sumpsit duo cochlearia sequentis mixturæ.

℞. Aq. Flor. Rhæad. unc. vj.
 Extract. Cort. Peruv. dr. v.
 Aceti Vin. dr. vj.
 Syr. Diacod. unc. j. β.

M.

Simul copiosum potum continuavit ægra haurire.

His medicamentis utens in eodem statu permanfit ægra ad 27. Maj. qua multæ maculæ tam ex rubris quam ex subfuscis disparuerant, & reliquæ omnes flavescebant: post diem tamen hujus morbi septimum urina fuit naturalis & alvus omni die cocta depo-
 nebatur.

28. Pulsus erat fere naturalis, delirium aberat, palpebrarum oculi sinistri tumor minor colorisque minus livefcantis: pergebat tamen obtusus capitis dolor: foramen cranii

spe-

specie membranæ spissæ, mollis fere integre obturabatur, nec ulla amplius ex cranio materies effluebat : ex ambitu autem foraminis continuabat aliquid purulenti prodire.

Diem 29. sine molestia transegit, sæpius pacate dormivit, & cibos leviores cum appetitu sumpsit. In methodo medendi nihil mutatum est.

30. Maculæ omnes disparuerunt, & omnes functiones ad statum naturalem rediisse videbantur.

Perrexit tamen, ut ante, ad quartam Junii Clareto & mixtura cum extracto corticis Peruviani uti. Dein omni medicamento abstinuit, & cibus aptis per 14. dies nutrita, vires optimas recuperavit.

Paucum toto hoc tempore pus, idque bonum dederunt suppurantia integumenta : foramen in osse factum penitus obturatum erat substantia membranacea molli, sensim magis magisque indurescente, & circa 20. Junii

jam quasi cartilago digito prementi resistebat: os nudatum integumentis album erat, & fomento cicutæ diligenter tegebatur. Dolor nullus, nisi in illo loco, ubi os integumentis orbatum erat: oculus optimus, & nullum palpebrarum tumoris vestigium remanebat.

Manferunt autem duo tumores, nuces juglandes italicas magnitudine æquantes, in latere dextro colli, secundum asperam arteriam fiti, & duæ cicatrices aliorum tumorum duræ, ob nimiam elevationem aspectu fœdæ: unde rogavit ægra, ut darentur ipsi denuo Pilulæ de Cicuta. Incepit iterum bis de die Pilul. N. 6. gr. iv. fumere: vitulina & similibus facilioris digestionis cibis nutriebatur: initio Julii bubula ipsi etiam concessa fuit cum appetitus valde magnus & omnes functiones bonæ essent.

10. Julii cicatrices mollitæ pus tenue albescens fundebant, unde loco fomenti, quod ab eo tempore, quo cicuta iterum inceperat
uti,

uti, applicatum fuerat, solo Emplastro cicutæ tegebantur.

15. Tumor superior integre suppuratus sponte apertus est, & nihil omnino duri post puris subflavescentis, striis fuscis intermixti effluxum superfuit.

20. Alter tumor eodem modo evacuatus est: in cicatricibus antea elevatis & duris duorum prius apertorum tumorum elevatio conciderat, & durities disparuerat; hinc omnia Emplastro Dyachilon cum gumm. tecta, omni die deligata pus bonum dabant.

Nihilominus dolor in osse denudato post quemque motum corporis vel animi solito majorem, ægram vehementius afficiebat: os nudum maxima sui parte nigrescebat, & lamina superior in illa parte, quæ substantiæ foramen cranii obturanti & nunc valde duræ adhærebat, elevari videbatur; fomento tamen cicutæ continuo tegebatur.

Omnia hoc modo continuata sunt ad 24. Augusti absque ulla in medicamentis mutatione, si bis ob alvum nimis tardam toto hoc tempore repetitum haustum Num. 9. excipias.

24. Augusti laminam ossis, prope foramen olim in cranio existens magis elevatam & hiantem, sine magno molimine ab inferiori lamina separavit egregius nosocomii Chirurgus: sub hac vascula extensa speciem carnis referebant: foramen autem in cranio factum osseam resistantiam habebat: locum valde sensibilem textit Chirurgus linteis sarptis fomento cicuta madidis.

Ægra hoc facto quieta in lecto jacens cicuta abstinuit uti & carnibus, ac tantum levioribus alimentis usa pro medicamento habuit Emulsionem diacodiatam. Pulsus erat paulo celerior naturali, & capite dolebat, ubi lamina ablata erat: sequenti die aliquid puris linteis sarptis adhærebat, nihil tamen

nec

nec interne nec externe in methodo medendi mutatum est ad primam Septembris; qua die, cum omnes functiones optime peragerentur, nullaque ex abscessu cranii amplius materies prodiret, ac parvus tantum dolor adesset, Emulso abstinuit: quietam tamen in lecto jacere continuavit, & jusculis, aliisque facilis digestionis cibis ali: ulcus linteis carptis fomento cicutæ imprægnatis tectum servabatur.

Quinta & 6. Septembris alvo caruit; appetitus minor factus est, & dolor capitis increvit: assumpta autem 7. Septembris Rhei. electi dr i. alvum quinquies subduxit, appetitum restituit, & capitis dolor quoque minutus est.

9. In omni ambitu ulceris rudimenta cicatricis apparebant: medium autem ulceris paulo minus excrescebat, nihilominus tamen idem externe continuavit applicari.

14. Cicatrix se sensim magis versus medium ulceris extendebat, verum in medio elevatio nimia erat, & vascula in speciem carnis fungosæ degenerabant, ideo fomento cicutæ aqua calcis substituta fuit.

Hoc modo intra quatrimum collapsa est illa eminentia, & quod cicatrice non erat obductum, crusta incepit tegi: solum postea Emplastrum cicutæ externe applicatum est, & denuo licuit ægræ surgere & majori ciborum quantitate vesci.

24. Magnificus Dominus *Störck*, qui totam curam vidit, & cum quo sæpius super hac ægra consilium habui, ægram mecum examinavit.

Totus locus capitis post laminæ externæ separationem speciem carnis referens, nunc ubique, parte etiam illa non excepta, quæ crusta tecta erat, valde durus erat, ossisque naturam multum imitans; ægra, licet gracilis esset, bene valebat, nullum dolorem

conquerens : omnes colli tumores cicatrice obducti erant , in aliquibus tamen crassa , aspectu admodum fœda : hinc suavit magnificus vir , ut ægra denuo inciperet bis de die *Extract.* cicutæ *Scr.* i. sumere , ac simul quater de die *Decoct.* lignor. unc. iij. cum anatica lactis parte fumeret. Cicatrices denuo *Emplastro* cicutæ tegebantur. His utens optime habuit , & sensim corpori major torositas & vires majores renatæ sunt.

II. Octobris illustrissimus Præses præter alios ægros cicuta jam per aliquod tempus utentes , vel incipientes uti , hanc etiam examinavit , ac audita partim ab ægra , partim a nobis morbi historia , gaudium testatus est de felici hujus curæ successu

Ægra pergens dictis medicamentis uti circa medium Novembris menses habuit , qui tunc per quatuor dies , postea vero regulariter omni mense fluxerunt.

Ab eo tempore decocto lignorum non amplius usa est, sed quotidie Extracti cicutæ Scr. 1. ea spe, ut cicatrices, quæ continuo Emplastro cicutæ tegebantur, in sua crassitie minuerentur: verum licet 28. Novembris ad medium Decembris usque quædam aliquid aquosi stillarint, non mutabantur; unde cum 17. Decembris illam examinantes omnes cicatrices ficas inveniremus, fœmina postea cicuta abstinuit.

2. Januarii placuit iterum illustrissimo L. B. *Van Swieten* ægram examinare cum pluribus, qui aderant, celeberrimis Medicis & Chirurgis: in loco cranii, ubi os abscefferat, omnia ossæa prædita duritie invenit, omniaque in collo consolidata. Ægra cæterum optima sanitate fruebatur: unde brevi postea dimissa est, & mense Augusto mortuo marito iterum inivit matrimonium, ac octava Januarii 1763. optime valens in Saxoniam profecta est.

CASUS NONUS.

Juvenis 19. annorum 11. Novembris ad nos delatus est. Hic post frigidam æstuantis corpori mense Julio copiose ingestam, incepit ventriculo dolere, appetitu languere, & post assumpta grave pondus in ventriculo percipere. Assumpfit quidem varia tum a Medicis, tum etiam ab aliis hominibus, ut ventriculi, ut putabat, debilitatem corrigeret: verum nihil ipsi levamen attulit: potuit tamen utcunque opificio factoris, quo panem lucrabatur, sufficere usque ad finem Augusti, quo tempore incepit post assumpta valde angi, & ventriculo dolere, subsequente sæpius post duas vel tres horas assumptorum vomitu: cum autem juscula & lactinia ac similia facillioris digestionis alimenta non rejiceret, se his sustentavit ad 6. Novembris usque, qua & hæc quoque levissima vomitu sæpius per diem repetito re-

jice-

ficere incepit, quod continuavit, donec ad Nosocomium totus emaciatus adferretur.

Ajebat, se omni secundo vel tertio die alvum deponere, pulsus erat debilis; in Epigastrio circiter duos pollices infra cartilagineam Xiphoideam tangebatur corpus durum, mediocris magnitudinis, profunde situm.

Statim usus est Decoct. Rad. Sal. cum laudano, Enema ipsi injectum est, quo alvus cocta educebatur. Cibus fuerunt Juscula carniū, leves panatellæ; potus lac cum Decoct. Hordei.

Hac methodo effectum est, ut primo die tantum bis vomuerit, 2. die semel, tertium diem sine vomitu transegit: noctu tamen prægressa magna anxietate bis debuit vomere. 4. die 15. Novembris cum de nullo dolore conquereretur, & abdomen utcunque tensum esset, dedi ipsi sequens.

℞. Aquæ laxat. D. V. unc. v.

Syr. Rosarum solut. dr. v.

Spir. Nitri dulc. gtt. x.

Sal. Polychr. dr. β

M.

Ut omni $\frac{1}{4}$ horæ cochleare fumeret, donec inciperet purgari.

Enema quoque ipsi injectum est hoc modo: septies vel octies optime purgatus est, ac vespere assumpta Syr. Diacod. unc. i. noctem quietam habuit. Per 4. dies usus est lenissimis solventibus paregoricis, inde autem auctus est ventriculi dolor & vomitus frequentior factus.

23. Novembris dedi ipsi mixturam sequentem intra biduum assumendam.

℞. Extract. Cicut. dr. j.

Laud. Liq. Sid. Scrup. j.

Aq Flor. Rhæad. unc. vj.

Syr. Papav. alb. unc. β

M.

Æger eadem ac ante diætâ usus est: intra quatrimum vomitus penitus cessavit, & alvum omni die sponte deposuit: dolores multum minuti sunt: corpus illud durum adhuc tamen ut antea in Epigastrio percipiebatur.

17. Novembris loco mixturæ incepit bis de die Extracti Cicutæ in pilul. redacti gr. xvj. fumere.

Sensim inde ita mutatus est, ut 7. Decembris nullum amplius doloris, sensum perciperet, & cibi hucusque concessi appetitui minime sufficerent: comestis autem carnibus alde anxius fuit, ventriculo doluit, ac noctem inquietam transegit; quapropter præter paucum panem, & leviora olera priori diætæ nihil additum est.

Interim eandem Extracti Cicutæ dosin omni die sumpsit, & 16. Decembris cum optime quoad omnia haberet, appetitusque validus esset, nec tactu præternaturale quid
in

in regione Epigastrica detegeretur, carnes teneriores denuo concessæ sunt, quas æger sine incommodo ferre potuit

26. Decembris incepit carne bubula & aliis durioribus cibis vesci, a quibus nec minimum incommodum habuit.

Sumpsit prædictam cicutæ dosin usque ad 6. Januarii: tum habitus corporis & vires optimæ erant, hinc nosocomio discessit, promittens se statim ad nos rediturum, si aliquid prioris mali denuo perciperet.

CASUS DECIMUS.

Vir 40. annorum mense Augusto ad nosocomium venerat cum magno ulcere scorbutico, quod in cruris dextri parte externa jam ab anno gerebat: inferior præterea pars cruris una cum pede tumore duro occupabatur, ita ut æger continuo decumbere deberet.

Omnibus adhibitis in tali casu ufutatis medicamentis nihil spatio trium mensium ef- fecimus. Hinc, quid cicuta interne & ex- terne applicata in hoc homine efficeret, experiri statuimus.

Itaque 18. Novembris incepit bis de die Extracti cicutæ gr. xvj. fumere; ulce- ri lintea carpta Infuso cicutæ madida appli- cata sunt, ac desuper lintheum quadruplica- tum ejusdem Decocto imbutum tepide omni bihorio renovandum.

Erant tunc pes & crus æque tumida, ac dum primo illum videramus: ulcus autem magis proferpserat in omni dimensione: mar- gines hinc inde exesi erant, & ex fundo ulceris plura parva tubercula exfurgebant: color variegatus erat, materies ex ulcere effluens faniosa, ac æger magnos dolores patiebatur; functiones tamen vitales & na- turales sat bonæ erant.

Senfim ita mutatum est ulcus ut 27. Novembris coloris rubelli fuerit, cum pauca inæqualitate in fundo, pes etiam & crus minus tenfi erant.

6. Decembris jam fundus ulceris elevabatur: loco saniei, quæ hucusque effluxerat, pus tenue aderat, tumor pedis & cruris multum minutus erat, & æger extra tempus deligationis nullum amplius dolorem percipiebat.

Eadem methodo tam interne quam externe usi fuimus ad 20. Decembris, quo tempore centrum ulceris paucum pus bonum fundens cum marginibus in æquali altitudine erat: margines vero albescentes incipientem cicatricem ostendebant: omnis quoque tumor pedis & cruris disparuerat.

Cessavit tunc æger cicuta uti, & externe ulcus solo Emplastro de cicuta tegebatur: tantum omni sexto die haustum purgantem sumpsit, quem etiam tempore, quo

cicuta utebatur, omni sexto vel faltem feptimo die fumpferat.

Hoc modo circa medium Januarii optima cicatrix formata erat: æger fanus & robuftus toto die extra lectum manebat, sæpius ambulans & aliis inferviens & denique sub finem Januarii, cum ad labores aptus effet, difceffit.

CASUS UNDECIMUS.

Fæmina nata annos circiter triginta ad nos 31. Decembris anni 1760. delata, habebat mammam finiftram duram, fcirrhofam, lividam, dextra volumine triplo majorem, ac tam vehementer dolentem, ut inde refpiratio multum læderetur.

Quanto tempore dura fuerit mamma antequam dolor accefferit, ignorabat ægra: ajebat tamen jam dudum fe majorem in hac mamma tenfionem animadvertere, quam in altera, feptimamque nunc effe hebdomadam,

ex qua inceperat dolere & manifeste videre molem augeri.

Dolor initio non erat continuus, sed subinde tantum acutissime lancinans, ut ægra fere in animi deliquium caderet. Sensim adeo increverat, ut jam ab octiduo, dum ad nos deferretur, continuo urens aut lancinans eam diris cruciatibus torqueret: admodum emaciata erat & coloris valde cachectici: viresque ita collapsæ, ut vix spes superesset curationis.

In hoc statu dedi illi decoctum Sarsapar. cum Syr. Diacod. unc. i. β & mixturam sequentem.

℞. Aq. Flor. Rhæad. unc. vij.

Extract. Cicut. dr. j.

Syr. Diacod. unc. j. β

M.

S. ut omni bihorio duo cochlearia sumat.

Totum absumpsit intra 24. horas, quo tempore diligentissime fomentum cicutæ applicabatur.

His effectum est, ut sequenti die dolores multum minuti fuerint, & ægra per intervalla parum dormierit.

Iisdem medicamentis usa est, per sex dies, cum magno dolorum levamine: appetitus, qui duobus primis diebus nullus erat, rediit, juscula, panatellas & alios leviores cibos libenter assumpsit, & protractiorem somnum habuit.

Die 7. sive 6. Januarii mamma pluribus in locis incepit exulcerari, ac copiosam saniem valde acrem fundere: fundus & labia ulcerum erant plumbea: rarus tunc lancinans dolor: verum agebat ægra se in tota mamma præcipue in locis exulceratis dolores admodum urentes pati.

Cum mutationem in melius animadvertirem, nec a cicuta aliquid in corpore turbari

videretur, duplam cicutæ dosin dr ij. nempe quotidie absumendas in mixtura præscripti: usa est præterea ægra copioso lacte aquæ puræ, vel decocto supra memorato sine Diacodio, mixto. Externe Emplastrum de cicuta applicatum est, & tota mamma fomento cicutæ continuavit foveri.

Hac methodo de die in diem res in melius vertebatur & 19. Januarii, cum mecum ægræ adesset Magnificus Dominus *Störck*, materies saniosa in pus dilutum mutata erat, ægraque admodum parvos dolores patiebatur; massa scirrhusa mediam suæ molis partem amiserat.

Ostendit nobis quoque tunc ægra glandulas subaxillares (de quibus antea nullam mentionem fecerat) tumentes, non admodum duras, quas ajebat se jam in tertium mensem multo majores & duriores absque magno incommodo gerere.

Hæc videntes in methodo medendi nihil mutandum esse concludimus : concessum tantum fuit illi quotidie aliquid levioris carnis.

Sub usu medicamenti vires sensim increverunt : color cachecticus disparuit & appetitus ita auctus est , ut circa medium Februarii , quo tempore molis duræ partim resolutione partim suppuratione consumptæ vix quarta pars supererat , carnes debuerint illi majori copia concedi.

Nulla malo symptomate turbata fuit cura , unde toto mense februario Extracti cicutæ dr. ij. quotidie sumpsit.

Initio Martii cum jam admodum parum de duritie superesset , tantum bis de die Extracti cicutæ in pilulas redacti Scr. j. sumpsit , quod continuavit ad 16. mensis , quo tempore omnia mollia erant , & ulcera maxima parte cicatrice obducta unde cicuta non amplius usa fuit.

A 14. Januarii, qua primum adverti-
pus loco faniei ex mamma ulcerata prodire,
pus omni die melius evasit, donec optimum
esset: Verum ea quantitate non prodiit, ut
posset credi, massam scirhofam suppuratione
consumi, quin potius manifeste patebat per
resolutionem maximam molis duræ partem
disparere.

Intra trimestre spatium penitus curata
fuit & præter cicutam & diætam convenien-
tem illi toto curæ tempore administratum est
nihil, si purgans lene quinquies toto curæ
decurfu excipias, quodque tamen ideo tan-
tum adhibitum est, quia ægra de aliquo gra-
vamine circa præcordia, forte a cibis ob
defectum exercitii corporis nimis diu in ven-
triculo hærentibus orto, conqueſta est.

Magnificus *Störck* tempore curæ hanc
ægram sæpius vidit, ac integræ & celeris
curationis testis fuit: vidit quoque illam plu-
ries celeberrimus Anatomix Professor Do-

minus *Gasser*, qui eo tempore sæpius nostrum nosocomium accedebat, & cujus consilio in gravibus casibus sæpius usus sum. Viderunt illam & multi alii doctissimi & celeberrimi viri tam Chirurghi quam Medici.

CASUS DUODECIMUS.

Juvenis 17. annorum 19. Januarii 1760. ad nos venit cum tumore duro scirrroso paroditis dextræ, quem jam a biennio gerebat sine dolore: cum cæteroquin sanus esset, statim primo die incepit extracto cicutæ uti, cujus dosis per octiduum fuit gr. xvj. bis de die: externe toto diei tempore fomentum cicutæ applicabatur: noctu vero Emplastrum Diæta nulla peculiaris præscripta fuit, sed cibus solidioribus potuit vesci.

27. Januarii incepit ter de die Extracti cicutæ gr. xvj. sumere, quæ dosis paucis diebus postea ad dr. j. aucta est, eo cum effectu, ut circa medium Februarii formi-
catio-

cationes & leviores lancinationes in Scirrho subinde perceperit, 24. Febr. sumpsit haust. N. 9.

26. Incepit denuo ter de die Extracti cicutæ Scr. j. fumere & perrexit ad 2. Martii: permanlit formicatio, & subinde repens levior lancinans dolor: tumor de sua duritie multum amiserat, nec mole augebatur. Unde

2. Martii eundem haustum sumpsit, quo optime purgatus est, & sequenti die denuo priorem medicamenti dosin.

6. Videbatur tumor mole minui: quod 9. ita manifestum erat, ut de futura resolutione magnam spem haberemus.

Postea omni 6. die ægro purgans datum est: reliquo tempore quotidie dr. j. Extracti cicutæ sumpsit.

Hoc modo ita sensim durities & moles tumoris disparuerunt, ut 12. Aprilis locum tumoris penitus mollem viderint Magnificus *Störck* & doctissimus Medicus *Laurentius Hoffmann*, alii-

que plures: flaccida tamen cutis speciem tumoris parum elevati præ se ferebat, quem frustra roborantibus & penetrantibus medicamentis externe applicatis per 15. dies conati fuimus auferre: unde æger lætus de felici cura hanc parvam deformitatem flocci fecit, & ex nosocomio sanissimus discessit: toto tempore, quo cicuta usus est, alacris fuit, & omnes corporis functiones optimæ manferunt.

CASUS DECIMUS TERTIUS.

Puer 13. annorum jam a semi anno genu finistrum tumidum durum habebat cum impedito cruris admodum Emaciati motu: tentavimus sine effectu fomentum factum ex sale ammoniaco, vino, aceto, & aqua per tres hebdomadas, licet quoque interne varia solventia simul exhiberentur: quapropter statuimus cicutam in opem vocare.

Incepit 3. Februarii binas pilulas Extracti cicutæ mane & totidem vespere sumere, quarum quælibet gr. iv . erat, & externe genu decocto cicutæ diligenter fovebatur.

10. Cum æger medicamentum optime ferret, ter de die eandem dosin sumpsit.

12. Leniores dolores subinde repetentes in genu percepit: quoad reliqua autem sat bene habebat.

15. Pergebant illi dolores, & genu minus durum erat, crusque nonnisi cum femore antea movendum retrorsum & antrosum parum moveri poterat.

16. Purgans sequens sumpsit.

℞. Folior. Alexandr. dr. ij . β

Sal. Polychr. dr. β

Mann. Calabr. dr. vj .

Flaved. Cortic. Aurant. gr. xv .

M. inf. c. aq. fervid. q. S. p. $\frac{1}{2}$ hor.

vase clauso, colat. cun. ij . β d. u.

Ab

Ab hoc haustu octies purgatus est; frequenti die tantum per intervalla dolebat, & cruris motus liberior erat.

Priori cicutæ dosi iterum usus est ad 21. Februarii, quo manifeste patebat genu molliri, & mole minus fieri. Sumpsit iterum priorem haustum optimo cum effectu.

Perrexit sic omni sexto die purgans fumere, utens intermedio tempore dicta Pilularum dosi.

Initio Martii facile in omnem partem manu ducebatur; crus quoque poterat parum flectere & extendere, tumorque ultra mediam partem minutus erat, & residuum molle.

Eodem tamen modo usus est medicamenti usque ad 20. ejusdem mensis, qua omnis tumor disparuerat, superstite tantum partis flacciditate, quæ fomentis & Emplastris roborantibus per quindecim dies applicatis ita correctæ fuit, ut æger, qui jam ab initio Martii baculo adjutus leni gradu per

cubiculum ambulare potuerat, tunc sine baculo incedere posset : imo & scalas fat facile ascendere & descendere : mansit tamen in nosocomio usque ad 23. Aprilis, qua sanissimus nosocomium dereliquit.

CASUS DECIMUS QUARTUS.

Puella 19. annorum 10. Februarii ad nos venit, narrans se ante annum plures glandulas in latere colli dextro tumidas habuisse, quæ applicatis variis Emplastris & cataplasmatibus ad speciem suppurationis deductæ fuerunt post quatuor menses ab illarum ortu : effluxerat autem pus saniosum & massa dura tantum pro parte consumpta inde fuerat, licet post aperturam continuata sint varia emollientia & solventia.

Dum primo illam vidimus, plaga affecta in longitudine circiter tres pollices æquabat ; latitudo paulisper minor erat ; ex tribus parvis foraminibus, quæ examinata ve-

ras fistulas monstrabant, materies ichorosa effluebat: interstitia foraminum lignea duritie digitis resistebant.

Ægra cachectica erat, & jam a quatuor mensibus carebat menstruo fluxu.

Illico datæ sunt illi quatuor pilulæ Extracti cicutæ bis de die, quarum quælibet gr. iv. externe diurno tempore fomentum de cicuta continuo applicabatur, ac bis de die in fistulas decoctum cicutæ leniter injiciebatur.

20. Februarii loco Ichoris pus dilutum albescens ex fistulis effluebat, totus tumor minus durus erat, & fistularum orificium simul cum tumore multum mollitum: cum tamen appetitus minueretur, immo carnes recussaret ægra, Rhei dr. j. mane ipsi data est, 21 Februarii, dein sequenti medicamento usa est.

℞. Conserv. Menih. unc. ij. β

Cortic. Winteran. dr. j. β

Pulv. Rad. Helen. dr. ij.

Syr. Cort. Aurant. unc. β

℞. M.

S. quater de die dr. ij. sumat.

Sub usu hujus medicamenti appetitus renatus est, & 25. Februarii potuit denuo uti cicuta, cujus usus externus non interruptus fuerat.

Optime tulit ægra cicutam, & sensim totus habitus corporis ita mutatus est, ut color cachecticus ante medium Martii in colorem sanum mutatus esset, tumor quoque multum minutus; disparuerat etiam fistularum callositas & illarum cavitates implebantur.

27. Ejusdem Martii menstrua prodire, quæ per triduum fluxerunt, & de toto tumore tantum supererant tubercula duo, nucis avellanæ majoris magnitudine, quæ duri-
tiem

tiem servabant: reliquum tumoris partim suppuratione, partim resolutione sublatum erat: nullus quoque aditus amplius in loca antea cava patebat, licet ulcuscula adhuc pus paucum funderent.

4. Aprilis rudimenta cicatricum in ulcusculis conspicua erant & intra 15. dies cicatrices perfectæ fuerunt; totus locus tumoris collapsus erat, & mollis.

26. Menstrua eodem modo habuit, ac mense Martio, quibus elapsis cum optime haberet, ad suos rediit.

CASUS DECIMUS QUINTUS.

Juvenis 26. annorum ad nos 25. Februarii delatus habebat horrendum tumorem cancerosum in parte faciei dextra.

Fœdus hic tumor, qui altius pertingebat, quam est angulus oculi, ad duos digitos transversos infra angulum maxillæ inferioris descendebat, totumque spatium a duobus

bus digitis ab occipite ad angulum fere oris occupabat : in medio exulceratus labiis re-torridis fœdiſſimo livore horrorem pariebat: occupabant quoque artus plures tumores duri, lividi: juvenis iſte ajebat , ſe a nativitate tu-berculum piſi magnitudine in media gena geſ-ſiſſe colore rubrum , duobus pilis inſtructum: nullum tamen ſe unquam inde habuiſſe incom-modum , donec ante biennium equus, quem collo prehenderat , capite Nævum mater-num contudiſſet, unde ſtatim inceperat do-lere.

Senſim moles auçta eſt tuberculi , & pro-ratione incrementi intendebatur dolor : qua-propter 10. diebus a contuſione elapſis leva-men quæſiturus balneatorem acceſſit miſer , qui primo tumorem filo circumduxit: cum autem ob ingentes dolores illud ferre non potuiſſet , variis ſpirituofis, acribus, immo ipſo lapide infernali malum auferre tentavit,

& hoc modo effecit , ut brevi spatio magnæ molis cancer faciem occuparet.

Præfuit tamen solitis laboribus usque ad mensem Octobrem anni 1760, quo tempore, præ doloribus acutissime lancinantibus nec minimam quietem habere valens, auxilium imploravit ab expertissimo Domino *Leber* nunc Chirurgiæ Professore publico, qui illi bis de die gr. xv. Extracti Cicutæ dedit, ac externe per diem partem Decocto cicutæ soveri jussit, noctu vero locum Emplastro cicutæ tegi: quo modo continuavit fere per quinque menses eo cum effectu, ut dolores multo tolerabiliores fierent, & per plures horas noctu somno reficeretur.

Cum tamen victus ipsi deficeret, & non posset ea exactitudine mali habere curam, quæ requirebatur, ad nos venit 25. Februarii multum fabricitans.

In causam autem febris inquirentes, experti fuimus, illum vesperi diei præcedentis
mul-

multum vini cum amicis hausisse, ac carnes falsas, fumo induratas copiose comedisse: unde illico ipsi haustus purgans datus est, qui decies alvum movit magno cum febris levamine. Vespere emulso usus est refrigerante & die sequenti Apyretos erat.

Jam die præcedenti applicata fuerant fomentum & Emplastrum de cicuta, primum nempe tempore diurno, alterum per noctem, quod continuatum est.

Cum tantos dolores pateretur, & jam cicutæ assuetus esset, gr. LVj. extracti cicutæ in pilulas gr. iv. redacti binis dosibus, quarum una mane altera vespere ipsi porrigebatur, quotidie absumpsit usque ad 5. Aprilis, quo tempore dolores evanuisse asseruit: noctu quiete dormiverat, & omnes corporis functiones rite peragebat, tumor mobilior erat.

Perrexit æger eadem cicutæ dosi uti ad diem 17. Aprilis: per totum hoc tempus ra-

ro doluit, ac optime habuit: erat tunc tumor mobilior, ac in plures lobulos divisus: medium tumoris ad floreni magnitudinem gangrenescebat, & brevi a reliquo tumore separatum iri videbatur.

Dedi tunc ægro mixt. in qua dissolutæ erant Extract. cicutæ dr. iij. cum Syr. Diacod. dr. vj. intra biduum assumendam.

29. Aprilis pars illa nigrescens penitus excidit relicto foramine, quod nucem juglandem capere potuisset.

30. Aprilis jam illa in parte pus fat bonum incepit formari.

6. Maji tumor in omni parte ulcerata pus bonum dabat, & manifeste minutus conspicietur: æger alacris erat, & quoad omnes functiones bene habebat: nihil in medendi methodo mutatum fuit.

15. Copiosum vinum furtim acceptum hausit, unde valde inebriatus est, & sequenti die, licet finita crapula bene haberet,
omnis

omnis plaga tumoris exsiccata erat, sublata penitus suppuratione: continuavit eadem medicamenti dosi uti ad 22. Maji, sine ullo effectu, unde Extracti cicutæ major dosis, drachmæ nempe duæ omni die ipsi datæ sunt: quam dosin quidem sine incommodo tulit: verum inde nulla mutatio in tumore facta est, præterquam quod ex locis tumoris ulceratis parum saniei effluerit.

2. Junii incepit omni die Extracti cicutæ dr. iij. absumere, quas etiam optime tulit sine mutatione.

9. Data est ipsi Extract. cicutæ unc. β quotidie absumenda, quæ demum intra quinque dies suppurationem in tumore denuo produxit: continuavit eadem dosi uti ad 18. Junii, quo tempore, cum tumor in omni plaga optime suppuraret, tantum medicamenti dr. ij. per diem iterum incepit sumere, & sic suppuratio per plures dies optima fuit, licet sæpius clam fuillas carnes &

alias fale conditas vorarit, & vinum hauserit.

25. Multum febricitabat & capite dolebat, pulsus erat durus & plenus; lingua sicca; sitis magna; appetitus nullus; alvus naturalis.

Venæ sectione libra una sanguinis educta fuit, qui brevi temporis spatio crusta densa phlogistica tegebatur: pro medicamento assumpsit quotidie partitis dosibus Rob. Sambuci. unc. ij. cum sal Polychr. dr. j. Nitri puri dr. β & copiosum decoct. Hordei cum melle potavit, ac cicuta abstinuit.

Intra quinque dies partim alvo, partim sudore judicatus est ab hoc morbo, qui supurationem tumoris, cui externe omnia continuerunt applicari, sicut ante hanc febrem, nullo modo inturbavit.

Levioribus cibis debuit vesci ad 8. Augusti, qua carnes iterum incepit comedere.

12. Augusti suppurationis jam multum tumoris consumpserat, & in omni plaga mollior & mobilis erat: cum vires sat bonæ essent, & sola externa applicatione medicamenti conservatam suppurationem videremus, decrevimus interne denuo data cicuta naturam juvare: sumpsit autem tantum bis de die Extract. Scr. j.

Tumore de die in diem magis suppurante, & minuto aliquid spei concipiebamus fore, ut hoc modo totus cancer consumeretur, dum 19. Augusti æger sine licentia vespere ex nosocomio discessit ut Baccho secundum beneplacitum litare posset, quod confessus est sequenti die, dum adhuc crapulosus ad nos rediret: examinato ulcere paucissimum pus hinc inde conspiciebatur: 21. Augusti suppurationis omnino defierat, & dolores lancinantes in tumore percipiebat.

Ab hoc tempore non amplius fuit possibile suppurationem bonam revocare, tantum

dolores cicuta leniti sunt: subinde tamen validi fiebant; tumor mole augebatur, unde circa initium anni 1762. pulverem ex Aconiti extracto ipsi dedimus, cum a cicuta nullum amplius effectum haberemus: ab illo pulvere leniti sunt dolores, non sublati.

Mense Majo tædio diurnæ curæ affectus ex nosocomio diceffit.

Circa medium Julii ad nos denuo delatus est miserrime habens: cancer in duplo majorem molem increverat; & faniem fundebat: vehementissimis doloribus afficiebatur, & totus emaciat & cachecticus erat.

Media mensura lact. cum potu ordinario quotidie ipsi dabatur, & varia medicamenta paregorica sine magno effectu assumpsit: vitam demum miserrimam sub finem Octobris finivit.

CASUS DECIMUS SEXTUS.

Fœmina 80. annorum ob luxatum os femoris dextri ad nostrum nosocomium sub finem Martii deferebatur.

Tentavit expertissimus Chirurgus omnia quæ repositionem juvari potuissent, verum cum luxatio jam nimis antiqua esset, omnia incassum adhibuit. Ob respirationem laboriosam, & tussiculam, qua afficiebatur usa est decocto emolliente usque ad 3. Maji, qua cancer mammæ dextræ, quem sollicitè abscondebat, suo fœtore se prodidit. Dolores, quos, ut falsa est, jam dudum patiebatur, semper tacuerat, eo, quod malum sacrum esse crederet, quod omni medicamento exacerbaretur.

Medium mammæ latum ulcus scœdum livescens multum saniei fundens cum labiis retorridis occupabat: mamma duplo major erat sinistra, in omni ambitu durissima, livi-

da, & ita dolens, ut ad lenem attactum lacrymaretur. Aiebat ægra, se jam ante triginta annos expertam esse hanc mammam duriores & majores altera, annum autem tantum elapsum, ex quo inceperat dolere: dolorem sensim magis magisque auctum fuisse, donec ante quinque menses inceperit aperiri aliquo cum dolorum levamine: toto hoc tempore mammam texerat Emplastro ab aliqua muliercula accepto, cujus compositionem ignorabat.

Ægræ promissimus levamen dolorum, & spem fecimus curationis, & sic illam adieimus ad ea facienda, quæ ipsi prodesse poterant: pilulas vero assumere recusavit; hinc mixtura sequens ipsi data est.

R. Syr. Diacod. dr. vj.

Extract. Cicut. dr. j.

Aq. Flor. Rhæad. unc. vj.

S. intra biduum absumat.

Externe lintea carpta ulceri cancroso applicabantur decocto cicutæ imbuta, & tota mamma eodem per diem diligenter fovebatur: noctu autem linteis carptis Emplastrum cicutæ imponebatur, sicut & toti mammæ, mane denuo Decocto cicutæ fovendæ.

11. Maji dolores erant minores, melius dormiebat & majori cum appetitu carnes teneriores & alios cibos assumebat: alvus sponte omni die prodierat & somnus erat multo pacatior, modo in latus dextrum decumberet.

12. Auçta est cicutæ dosis ad Scr. ij. per diem: hac dosi usa est ad 20. Maji magno cum dolorum levamine, & sine ulla functionum perturbatione: mole eadem videbatur mamma, verum margines cancri loco saniei pus tenue flavescens fundebant, & medium ulceris nigrescebat.

21. Extract. cicutæ dr. j. omni die sumere incepit sine corporis mutatione: sensim autem mamma in omni ambitu mollescebat,

medium ulceris continuabat nigrescere & Ichorem dare, dum margines fat bonum pus fundebant. Sic fuit ad medium usque Junii, quo tempore pars pollicis longitudine pectori contigua in omni ambitu mammæ icirrhosam duritiem servabat, reliqua vero mamma mollescebat.

17. Junii incepit magis dolere, febricitare, & totam fere mammam gangræna occupabat. Cura externa eadem mansit, ac ante, interne autem habuit sequentem mixturam.

℞. Extract. Cort. Peruv. dr. vj.

Aq. Flor. Rhæad. unc. vij.

Vini boni Austriaci unc. ij.

Syr. Diacod. unc. j̄ β

M.

Sumat omni bihorio duo cochlearia: subinde quoque Emulsi Paregorici unc. ij. per diem ipsi dabantur.

21. Vespere sub deligatione omnis moles scirrhusa mortificata una vice excidit, & subjacentes partes colore rubello, sano præditas, bonum pus dantes reliquit; in omni tamen ambitu circulus semi pollicis crassitie remansit durus: sequenti die apyretos erat; appetitus aderat, & carnes, quibus a 16. hujus mensis abstinerat, denuo sibi concederentur, rogabat; hinc exhibita prius Rhei electi dr. j. qua aliquoties purgata fuit, carnes facilioris digestionis ipsi datæ sunt, & denuo Extract. cicutæ dr. j. omni die sumpsit, & cortice abstinuit.

Margines duri optima suppuratione sensim consumebantur, & ægra fat alacris erat, hoc tantum dolendum erat, quod continuo lecto affixa esse deberet.

Sub finem Julii margo durus fere ubique consumptus erat, & hinc inde rudimenta cicatricis conspiciebantur: unde ab interno
cicu-

cicutæ usu abstinuit , externe autem eodem modo continuatum est ac in initio.

Ab eo tempore , quo massa scirrhusa gangræna a sanis partibus separata fuerat , semper sat bene habuit ægra , nisi quod in latus sinistrum sine incommodo decumbere nunquam potuerit.

10. Augusti cum jam magna pars ulceris cicatrice obducta esset , post magnam siccitatem copiosissima pluvia toto die cecidit , vespere apoplexia tacta , irritò ad illam solvendam omni conamine , die 11. Augusti mortua est.

In cadavere superiorem pulmonis dextrilobum scirrhosum , & in capite magnam feri copiam inter duram & piam matrem effusi invenimus , ventriculi quoque cerebri sero pleni erant ; præter hæc in visceribus nihil præternaturale reperimus.

CASUS DECIMUS SEPTIMUS.

Fæmina 39. annorum ad nostrum nosocomium 28. Junii delata est, cum ulcere profundo ad malleolum pedis sinistri externum, se ad trium circiter pollicum magnitudinem versus furam extendente, cum marginibus duris & superficie inæquali, multum Ichoris fundente: pes & crus tumore renitente a binis annis distensum erat, & jam a 14. mensibus exulcerari inceperat. Varia tam a Medicis quam a Chirurgis accepta toto hoc tempore usurpaverat. Verum sub illorum usu ulcus in omni dimensione auctum erat, eo modo ut ægram laboribus omnino ineptam reddiderit.

Cura hoc modo instituta fuit: cavitas ulceris linteis carptis decocto cicutæ imprægnatis implebatur, & his sicut pedi & cruri tumidis per diem imponebatur fomentum de cicuta, noctu autem Emplastrum.

In-

Interne primo assumpsit pillulas Hydriagogas, quæ aliquoties tempore curæ repetitæ sunt; dosis Extracti cicutæ in pilulas redacti fuit Scr. j. bis de die assumendus; Diæta fuit ut fanorum, bubulam & farinacea comedit: nihil enim læsum in corporis functionibus animadvertatur.

Sensim frustula plura semimortua tam ex fundo quam marginibus ulceris a vivis separata sunt, & moles pedis & cruris imminuta. Ulcus tamen continuavit faniem fundere usque ad 22. Julii, qua pus tenue dilutum loco faniei in omni plaga ulceris primo observabatur.

Initio Augusti ex ulcere optimum pus prodibat, & cavitas carne bona incipiebat impleri: margines molliores erant: pars cruris antea tumida detumuerat; pedis quoque tumor ad duas tertias partes prioris molis minutus erat.

Toto mense Augusto optime habuit: ulcus perrexit bonum pus dare, & fundus ulceris fenfim magis ac magis ad altitudinem marginum jam nunc mollium ascendebat.

17. Septembris cum illustrissimus L. B. *van Swieten* dignaretur nostros ægros visitare, & plures de initio, incremento, & successu curæ interrogaret, hanc quoque ægram examinavit: vidit nullam amplius cavitatem in ulcere adesse, ac jam circumcirca cicatricem a marginibus circa centrum adhuc parum suppurans extendi: ægra quoque tunc, quæ ut plurimum in lecto manere debuerat, ut fomenta melius applicari possent, potuit extra lectum esse, cum solo tunc cicutæ emplastro externe indigeret, dum tamen interna cura continuaret eadem esse.

Dum 11. Octobris denuo ad nos rediret Illustrissimus Præses, invenit ulcus optima cicatrice obductum, & ægram sanissimam,

quæ abstinuit tunc omni medicamento & brevi post e nosocomio dimissa fuit.

CASUS DECIMUS OCTAVUS.

Fæmina 70. annorum ad nos 29. Julii venit. Hæc ab annis duobus tumorem habebat ovi anatis magnitudine durissimum, supra articulationem ossium carpi cum metacarpis in parte illorum convexa situm, immobilem, qui manum & digitos introrsum premebat cum omnium rigiditate; indolens erat; functiones naturales & vitales animales quoque, si motum læsum excipias, bonæ.

30. Julii incepit bis de die Extract. cicutaë Scr. j. fumere, ac tumor tempore diurno decocto cicutaë fodus noctu Emplastro ejusdem nominis tegebatur.

9. Augusti poterat manum & digitos movere & retrorsum flectere; tumor quoque tertiam prioris molis partem amiserat.

Continuavit cicuta uti, & tumor ille ita sensim minutus est, ut 17. Septembris
dum

dum Illustrissimus Præses illam vidit, vix vestigium tumoris superesset, & libero manus motu gauderet ægra.

CASUS DECIMUS NONUS.

Fæmina 40. annorum 20. Julii ad nos venit: hæc per semi annum febre, illam modo ad instar quartanæ, modo, tertianæ, ac etiam quotidianæ aggrediente laborabat; multum emaciata erat, & tumorem durum integram palmam manus infra costas ex Hypochondrio sinistro descendentem circiter sesqui palmam latum jam in tertium mensem habebat: alvus tarda erat; appetitus paucus, somnus turbatus, pulsus extra paroxysmum inæqualis; subinde intermittens; respiratio sat bona.

Apud nos febris tertianæ typum servavit, & pro medicamento Decoctum N 19. ipsi datum est, quo per sex dies usa a febre libera fuit: verum mansit eadem durities & moles tumoris, & si alvum excipias,

quæ sub usu prædicti Decocti sponte prodibat, functiones nullo modo in melius mutatae sunt.

Continuavit Decocto graminis uti usque ad 8. Augusti sine ulla mutatione.

9. Augusti dedi illi bis de die Extracti cicutæ in pilulas redacti gr. xvi.

Alvus quotidie movebatur, & 13. ejusdem mensis, cum ob appetitum auctum reliqua alimenta ipsi non sufficerent, carnes leviores concessæ sunt.

Perrexit eadem cicutæ dosi uti ad 19. qua cum nullam mutationem experiremur, illi ter de die Extracti gr. xvj. dedimus.

26. & 27. Sensum fornicationis sæpius repetentem in tumore sentiit: 28. dolores percepit subinde sat magnos, ac ideo ipsi datum Dest decoctum N.20. intra biduum assumendum, quod alvum decies movit, & dolores sedavit.

Prima Septembris denuo incepit priori cicutæ dosi uti, quam per septem dies sine incommodo sumpsit.

8. Ite-

8. Iterum de fornicatione dolorifica in tumore conquesta est; quapropter ipsi denuo Decoctum herbæ Mercurialis præscriptum fuit, a quo per biduum pluries purgata est.

Minutus est inde fornicationis sensus, verum tamen non penitus disparuit, & pulsus leniter febrilis fuit usque ad 14., quo tempore carnibus abstinuit, & loco cicutæ Emulum refrigerans sumpsit.

16. Dum pulsus naturalis esset, iterum bis de die Extract. cicutæ in pilul. redacti Scr. j. sumere inchoavit; tumor tunc examinatus videbatur mole paulo minor, & optimo appetitu gaudebat ægra, unde licuit ipsi tenerioribus carnibus vesci.

Per totum mensem Septembrem omni die semel vel bis alvum habuit: tumor sub usu cicutæ continuato mansit indolens, & ægra sæpius extra lectum erat sedens, vel in cubiculo deambulans.

Initio Octobris catharro valido laboravit ægra, respiratio valde impedita fuit, & tuffis initio frequens & ficca: remediis pectoralibus demulcentibus, & expectorantibus intra quindecim dies a catharro liberata fuit: ventriculus vero debilitatus paucos cibos ferre potuit: assumpta tamen bis intra sex dies Rhei. elect. dr. i. appetitus restitutus est, & licuit denuo carnibus vesci, quibus ab initio catharri abstinuerat.

24. Octobris denuo incepit priorem cicutæ dosin fumere: 25. Illustrissimus L. B. van Swieten ægram in nosocomio examinavit, & tumorem invenit qualis supra descriptus est.

Perrexit cicuta uti sine incommodo usque ad 6. Novembris, qua incepit tumor dolere, pulsus quoque solito celerior esse, & ægra minus appetere.

Abstinuit carnibus, & 7. & 8. denuo usa est decocto N. 20. a quo copiose purga-

gata est cum magno doloris decremento, & notabili tumoris collapsu.

Post purgationem per quatrimum Emulso refrigerante usa est, sub cujus usu dolor residuus penitus disparuit: unde 15. iterum incepit cicuta uti & 20. carnes ipsi denuo concessæ sunt.

Reliquo hujus mensis tempore nihil interurbavit cicutæ usum, & 5. Decembris dum sæminam in nosocomio vidit Illustrissimus Præses, invenit tumorem vix median prioris molis partem habentem, faciem bene coloratam, & sæminam quoad reliqua sanam.

Ab eo tempore, quo denuo incepit cicuta uti, purgante non amplius opus fuit: alvus enim sponte omni die semel, quandoque etiam bis prodiit, atque in dies mole tumor fiebat minor, & omnes actiones optime peragebantur, donec 28. ejusdem Decembris magnum oris amarorem, nauseam,

& capitis sinistrae partis dolorem conquesta est.

Datum est ipsi tunc Decoct. Numero 20. cui Spir. Sal. Acid. Scr. i. addebatur, intra biduum assumendum, a quo pluries alvus mota fuit, & oris amaror multum imminutus, nausea disparuit, & Hemicrania minus molesta evasit; dein per quinque dies Acescentibus usa est, quibus oris amaritudo penitus disparuit: dolor vero capitis, licet multum minutus, permanfit.

Postea ab omni medicamento abstinit, & solis cibis facile digerendis usa est; appetitus tunc vigebat, & actiones omnes caeterum bonae erant, nisi quod Hemicrania quandoque acutius, & subinde Otagia per aliquot horas in eodem capitis latere afficeret aegram.

Cum autem adhuc aliquid de priori tumore superesset, dedi denuo 10. Januarii. bis de die Extract. cicutae gr. xvj. quod

con-

continuavit ægra usque ad finem Januarii, quo tempore nullum amplius præteriti tumoris in abdomine vestigium aderat. Cicuta ergo non amplius opus erat: unde illa abstinuit.

Tempore, quo hac ultima vice usa est cicuta, Hemicrania & Otagia subinde per plures horas, immo per diem filuerunt, denuo recrudescentes: cæterum ægra sat bene habuit, & initio Februarii incepit carnibus tenerioribus vesci.

6. Hujus mensis Illustrissimus Præses ægram examinavit, & abdomen ubique naturalis mollitiei invenit.

Retro aurem sinistram vesicans applicatum est, ea spe, ut dolor auris & capitis leniretur: verum nullum levamen habuit: II. vero magna puris sat boni quantitas ex aure effluens dolores minuit; puris pauci effluxus duravit usque ad finem Februarii, & sic ægra ab Hemicrania & Otagia liberata fuit.

Post hæc omnia fæmina licet fat bene valens, vires non habebat sufficientes ad solitos labores obeundos: statuimus ideo, illam in nosocomio retinere, donec robustior esset: verum res lente processit.

Sub finem Martii conquesta est de dentium doloribus, & gingivas examinantes, vidimus illas lividas, scorbuticas esse, & digito leniter fricatæ sanguinem fundebant: tonsilla sinistra ulcusculo in ambitu albescente occupabatur.

Sumpsit Decoctum herbæ Mercurialis folito cum effectu: dein conserva antiscorbutica usæ est: melle rosarum cum spiritu salis gingivæ & ulcusculum in sinistra tonsilla natum sæpius per diem illiniebantur.

10. Dierum spatio ulcus illud curatum est, gingivæ vero colorem scorbuticum servabant, & subinde sanguinem fundebant.

14. Aprilis incepit tussire, & tussi sæpius sanguinem rejiciebat: conservæ antiscorbuticæ

buticæ loco usâ est Decocto radicis Salab. quo & sputum cruentum & tussis sex dierum spatio sedata sunt.

Incepit post hoc seri lactis lib. j. cum Syr. fumaricæ unc. j. β & succi sempervivi major unc. ij. omni die absumere, & tantum alimenta acrimonie involvendæ & superandæ apta ipsi concedebantur.

Hac methodo tractata est ægra ad 18. Maji: quo tempore nulla mutatio in melius facta, e contra incepit artubus superioribus per vices admodum dolere.

Cum hæc vidi, dedi ipsi sequens

℞. Seri lact. lib. j. β

Extract Cicut. dr. j.

Syr. Fumar. unc. ij.

M.

S. intra biduum absumat.

Hoc medicamento usâ est tanto cum effectu, ut intra quatuor hebdomadas sanissima facta fuerit, nullo scorbuti superstite signo. Ini-

tio Julii vidit illam Illustrissimus Præses optime valentem , & 15. ejusdem mensis ex nosocomio discessit : ab hoc tempore fæminam hanc bis vidit Illustrissimus vir bona sanitate fruentem , dum nosocomium grato animo mota accessit , gratiarum actiones pro restituta sanitate repetitura.

• *CASUS VIGESIMUS.*

Juvenis 20. & aliquot annorum 8. Augusti 1761. ad nos venit. Hic jam a binis annis ajebat se lingua dolere , quæ jam a sesqui anno exulcerata erat : balbutiebat, & admodum difficile intelligebatur.

Aperto ore vidimus linguam fere penitus cancro exesam : æger magnos dolores patiebatur ; difficulter assumpta deglutiebat : somnus tamen sat bonus erat.

Expertissimus Chirurgus statim primo die incepit linguam linimento ex melle rosarum & Extracto cicutæ parato ter quaterve il-
linire,

linire, & infuso cicutæ abluere. 9. Augusti haustum N. 9. sumpsit, & 10. incepit ter de die Extract. Cicut. gr. xvj. sumere.

18. Hujus mensis residuum linguæ cancrofæ incepit bonum pus dare: æger optime quoad cætera se habebat, & dolores multo leniores erant.

Nihil usum cicutæ interrupit, lingua continuavit bonum pus dare, molliri. Sub finem Septembris sensim minuta est suppuratio, & hinc inde in ulcere, non amplius cancri nomen merenti, rudimenta cicatricis conspiciebantur. Residuum tamen linguæ licet mollius, quam dum nosocomium intraverat, nondum videbatur mollitie naturalis.

Perrexit itaque cicuta eodem modo interne & externe uti.

25. Octobris illum vidit Illustrissimus Præses: ulcus tunc totum cicatrice obductum erat: suavit tamen Illustrissimus vir, ut per aliquo

quod tempus continuaret adhuc cicuta uti, ne malum forte successu temporis recruderet: verum cum ab omni dolore liber esset, & bona sanitate gauderet, recusavit diutius medicamento uti, & initio Novembris e nosocomio discessit.

CASUS VIGESIMUS PRIMUS.

Puer 8. annorum 29. Julii ad nostrum nosocomium venit: narrabat Pater, illum jam a quinque annis scrophulosum esse.

Examinantes vidimus in utroque colli latere tumorem ex multis glandulis sibi arcte cohærentibus compositum, qui a parotidibus incipiens ad cervicem usque posterius pertingebat, per totam colli longitudinem usque in partem capitis capillatam extensus, crassitieque in media parte magnum ovum anserinum adæquabat: & tinea jam dudum caput descædebatur.

Tumor finiftram colli partem occupans iam a binis annis & ultra apertus, lividus ferum acre paucum cum materie calcarea mixtum fundebat: in eo tumore dolores lancinantes jam a pluribus menfibus patiebatur. Glandulæ submaxillares divifos tumores in utroque latere formabant variæ magnitudinis.

Abdomen erat valde durum: color erat cachecticus, flavescens: adnata oculorum cærulescebat: respiratio brevis & post motum celeris peragebatur; pulfus erat celer, inæqualis, appetitus paucus, alvus tarda tantum omni biduo vel triduo prodiens, dura.

Datum est ipfi tunc fequens medicamentum.

℞. Aq. Laxat. D. U. unc. ʒv.

Sal Sedlicens. dr. ij.

Syr. Mannat. unc. ij.

M.

S. Ma-

S. Mane duo cochlearia fumat, dein omni hora cochleare, donec purgetur, & fequenti die eodem modo pergat.

Hac mixtura per tres dies leniter purgatus est cum aliqua respirationis emendatione.

2. Augusti incepit mixtura fequenti uti.

℞. Extract. Cicut. Scr. ij.

Aq. Rhæad. unc. iv.

Syr. Flor. Rhæad. unc. β

M.

3. S. quater de die unc. β fumat.

Sub usu hujus mixturæ, quæ bis repetita fuit, alvum naturalem omni die habuit: alacrior factus est, & sexta ejusdem mensis valde gaudebat puer, quod loco dolorum pruritus solum perciperet: optime dormiverat, abdomen minus tensum erat: verum quoad reliqua nulla mutatio percipiebatur.

8. Pus ex tumore lateris finistri effluere observavimus. Tumor lateris dextri manifeste in plures tumores dividebatur, & glandulæ

dulæ submaxillares videbantur mole minui; alvum quotidie bis terve copiosam liquidam deponebat : appetitus erat optimus: abdomen tamen fere in eodem statu : cum viderem puero cicutam adeo conducere , præscripsi sequentem formulam.

℞. Extracti Cicutæ dr. j.

Aq. Meliss̄ unc. iv.

Syr. Flor. Rhæad. unc. β

M.

Ufus ut prioris.

Ad vigesimam usque Augusti hac mixtura usus est. Toto hoc tempore bene habuit : viguit appetitus , somnus optimus fuit , alvum quotidie bis vel ter deposuit , & urina solito copiosior erat. Tumor lateris dextri in alios minores variæ magnitudinis divisus est , ac in tumore lateris sinistri, præcipue circa margines animadvertimus plures glandulas separari a reliquo tumore , qui quoque minoris molis erat, & continuabat paucum pus fundere. O Ad-

Addidi tunc priori mixturæ Extracti cicutæ dr. β ut quotidie Extracti grana XLV. absumeret. Primis tribus diebus, quibus hanc dosin absumpsit, quater Nychthemeri spatio purgabatur.

24. Augusti alvus minus frequens fuit, verum urinam multo copiosiore reddidit: quod continuavit reliquo mensis Augusti, quo tempore omnia ita mutata sunt, ut 31. in sinistro latere glandula una submaxillaris binarum nucum sibi secundum longitudinem adglutinatarum magnitudinem solum referret: in dextro latere una quoque supererat paulo minor: reliquæ autem submaxillares multo minores erant, & quædam ita parvæ, ut nucem avellanam magnitudine non superarent.

Tumor dextri colli lateris divisus erat in decem & ultra partes. In tumore sinistri colli lateris tres glandulæ a reliquo tumore penitus separatæ erant, pars quoque ulcerata

fat bonum pus continuabat fundere : æger urinam copiosissimam mittere pergebat , & alvum bis vel ter de die deponere : color cachecticus in lætiorem quoque mutabatur.

Hoc in statu eum ad Illustrissimum Præfidem adduxi , qui , omnibus bene examinatis , jussit sic continuarem , mandavitque , ut puerum ipsi iterum post aliquod tempus adducerem.

17. Septembris Illustrissimus Præses invenit glandulas colli in parte dextra in plures adhuc minores & fatis parvæ molis quidem dissiluisse; in latere sinistro suppurabantur, & pus bonum inde prodire vidit : simul multum minuta erat moles; abdomen detumuerat, facies florida erat, & tinea capitis fere integre disparuerat.

Perrexit eadem dosi medicamenti uti sine ullo incommodo , & dum 11. Octobris in nosocomio illum denuo videret Illustrissimus vir, notavit sequentia.

In parte dextra multum denuo minuti erant dolores: in parte sinistra levis adhuc suppuratio aderat, & moles tumorum plurimum minuta; facies bene colorata, oculi vividi, tinea capitis sanata, abdomen detumescere pergebat.

13. Octobris binos novos tumores sub axilla dextra deteximus ovi gallinacei mediocris magnitudine. Interrogatus puer, a quo tempore illos gereret, respondit eos æque antiquos esse, ac reliqui, quos circa collum habebat, verum se nunc tantum ab aliquibus diebus dolorem ibi percipere, tactu experiebamur illos mollescere. Cæterum omnes functiones sat bonæ erant.

20. Incepit æger iterum valde copiosam urinam mittere, quod per triduum duravit, quo tempore alvus tarda fuit.

25. Illustrissimus L. B. *van Swieten* puerum vidit bene valentem; tumores in utroque

que latere sensim magis minui, & tumores sub axilla mollescere.

4. Novembris unus tumor sub axilla sponte apertus pus optimum fudit, alter vero multo minor fiebat.

14. Vidit Illustrissimus vir totum abdomen detumuisse, & in lecto, dum jacebat puer, omni modo tangere potuit, nec ullam amplius duritiem deprehendit: tumor in sinistra colli parte penitus mollitus, & in dextra fere integre solutus erat, & qui sub axilla dextra aderat, pariter multum minutus.

30. Conquestus est capitis dolorem, qui sumpto purgante evanuit, & æger continuavit cicuta uti.

Dum 5. Decembris iterum adesset Illustrissimus Præses, vidit tumorem in parte sinistra colli sponte apertum, pus satis bonum dare, multumque minui, & tumorem sub axilla valde parvum, puero quoad reliqua sano.

15 Incepit febricitare, quod per tri-
dium duravit, quo tempore parvus tumor,
qui sub axilla supererat, multum elevatus
est; puer abstinuit a cicuta per quinque dies,
dein incepit iterum illa uti.

30. Tumor ille sub axilla totus mollis
sponte apertus est, & pus dedit: alvus fe-
re omni die bis deponebatur, diuresis erat
minus copiosa.

2. Januarii anni 1762. notavit Illustris-
simus vir tumorem in sinistra parte non mul-
tum minutum, suppurare tamen: in dextra
parte dissilire residuum in minores partes,
& tumorem sub axilla suppurando consum-
ptum esse.

Æger postea tantum omni die Extracti
cicutæ dr. β sumpsit: verum ab hac dosi
nulla mutatio in melius facta est, & dum
6. Februarii denuo augere medicamento do-
sin mentis essem; parentes promissione cele-
rioris curationis nescio a quo ipsis facta, se-
ducti,

ducti, puerum noluerunt diutius in nosocomio relinquere.

Domi puerum detinuerunt ferè per binos menses, & varia externe applicuerunt, interne sumenda dederunt, quæ pueri sanitatem ita labefactarunt, ut dum initio Aprilis ad nos denuo deferretur, vix cognoscendus esset: totus exsiccatum erat, febricitabat, continua siti afficiebatur, & alimenta respuebat: collum circumcirca ulceratum & triplo magis tumidum, quam antea, foedissimum aspectu erat.

Omni artis molimine conati fuimus per 12. dies ægro levamen adferre: verum omnibus incassum adhibitis æger tabefactus periit.

C A S U S XXII.

Fæmina 50. annorum Viennam initio Augusti petiit, ut a tumore magno duro, quem in mamma sinistra gerebat, curaretur.

Verum nec Medicum nec Chirurgum accessit usque ad 21. Septembris, qua ad celeberrimum Chirurgiæ professorem *Leber* venit, dum fortuito casu apud illum eram.

Narravit fœmina se per 20. annos omnimense, antequam menstrua prodirent, mamma sinistra doluisse, ac plura parva tubercula in eadem orta esse, quæ tamen elapso menstruorum tempore sensim disparebant.

Hinc hoc non multum curavit; jussit tamen domina, apud quam tunc in famulatu erat, ut consilium rogaret a Medico, qui facto examine commendavit ipsi, ut sui curam sollicitè gereret, atque cancrum præcipue cessantibus menstruis metuendum esse: interim affirmabat fœmina, se nullam permanentem duritiem animadvertisse, nec recordabatur, quo anno cum illo Medico locuta fuisset, aiebat tantum multos ab eo tempore annos elapsos esse.

Jam a tribus annis menstruorum fluxus cessaverat, nec quid in mamma incommodi inde perceperat, donec ante 9. vel 10. menses infans apud illam in lecto jacens caput fortiter in eandem mammam sinistram impegisset.

Magnum tunc dolorem percepit, & elapsis aliquot diebus in sinistro mammæ latere tumor durus ortus est, nucem moschatam figura referens, qui postea sensim increvit, nullam ipsi molestiam creans.

Elapsis vero tribus circiter mensibus ab initio mali incepit dolores lancinantes subinde percipere, tumor continuo increvit, unde & doloribus sæpius repetentibus & increfcente tumoris mole territa demum Viennam venit.

Primis septimanis, quibus hic fuit, præ metu sectionis artis peritos non consuluit: sed ab aniculis accepta varia unguenta & emplastra mammæ applicuit; unde moles tu-

moris aucta & dolores majores & frequentiores orti.

Initio vero hujus mensis fuasit ipsi aliquis, ut pilulas de cicuta hoc modo fumeret, ut primo die mane 3. vespere vero 4. sequenti die mane 4. vespere vero 5. absumeret, donec dosis esset pilul. N. 10. deinde sensim minueret dosin; herbam quoque cicutæ contusam externe applicuit; verum hanc non potuit ferre: ac ideo unguento aliquo externe usa est. Ab eo tempore ait dolores minores, & minus frequentes esse, molemque & duritiem tumoris minui.

22. Septembris eam ad Illustrissimum Præsidentem duxi, qui invenit tumorem durum scirrhosum in mamma sinistra, qui sub papilla incipiens axillam versus tendebat, quinque pollices longum, & duos latum a parte inferiori a subjectis liber, & mobilis erat, sub papilla adhærebat integumentis: in illa parte, quæ versus axillam tendebat, liber erat

erat & mobilis, & subinde lancinationes patiebatur. Fassa est præterea, quod ante 4. menses per octiduum sumpserit tres pilulas Extracti cicutæ mane & totidem vesperi; dein abstinuit, crevit postea tumor & applicato Emplastro, quod quale fuit, ignorat, vocat *Mirackel-Pflaster*, *Emplastrum miraculosum*, magis intumuit mamma, & durior facta est.

Dedi ipsi bis de die Extract. cicutæ in pilulas redacti scr. j. & externe infuso cicutæ mamma fovebatur.

Illam denuo Illustrissimus vir vidit 11. Octobris: scirrhi longitudo per pollicis & medii longitudinem decreverat; latitudo fere eadem, altitudo seu crassities scirrhi minor, hinc planior apparebat, & papillæ adhæsiō ad scirrhum suppositum minor: vidit simul aliquid sanguinis ex papilla effluxisse.

14. Iterum aliquot guttulæ sanguinis ex papilla exstillarunt.

Idem accidit 16. 18. & 19. ab eo tempore continuo papilla Emplastro de cicuta tecta servabatur.

24. Adhuc aliquid sanguinis exstillavit; cæterum toto hoc 15. dierum spatio ægra quoad omnes functiones continuavit bene se habere.

Illustrissimus L. B. van Swieten iterum vidit illam 25. scirrhus in omni dimensione erat minor, mollior, planiorque & incipiebat in minores partes dividi.

Ab eo tempore aliquoties adhuc guttula sanguinis ex papilla effluxit. Cæterum bene habuit, & omnia perrexerunt mutari in melius, quod vidit ipse Magnificus vir 14. Novembris.

5. Decembris observavit scirrhum mole magis minui, planiorem fieri, & in minores partes magis magisque secedere, quæ tamen ad tactum adhuc duræ erant: eadem notavit 2. Januarii.

Per tres primos mensis Januarii dies diarrhœa laboravit, ac ideo loco cicutæ Decoctum radicis salab cum Laudano ipsi datum est, cui diarrhœa facile obtemperavit, & 8. Januarii potuit denuo cicuta uti.

6. Februarii notavit Illustrissimus vir tumorem insigniter minui, & dissilire in partes parvas, oblongas.

Perrexit ægra cicuta uti sine incommodo: sexta vero Martii non invenit Illustrissimus vir tumorem magis minutum esse, quam ultima vice, qua illam viderat: tumor tamen tribus quartis ejus molis, quam habebat, dum ad nos venerat, partibus minor erat, nec ullos amplius dolores patiebatur, ita ut spes magna foret integræ resolutionis: verum ægra lautiori Diætæ assueta, de cibis, quos in nosocomio adquirebat, non contenta ad suos rediit.

24. Octobris vidi illam aspectu sanam, in platea celeriter incedentem.

C A S U S XXIII.

Fæmina 29. annos nata 28. Julii ad nos venit, & retulit, se ante quinque annos tumore & induratione glandularum finistri colli lateris laborasse, quæ cineribus calidis applicatis minutæ fuerant, verum a 3½ annis licet vari externe applicuisset, sensim increverant, ita ut tunc adesset tumor livescens ex duobus sibi cohærentibus compositus, valde elevatus, circiter quatuor digitos latus, longitudine latitudinem paulo superante; glandula quoque thyreoidea, præcipue in parte dextra tumorem strumofum formabat ovi semi compressi figura: collum vix movere poterat.

Ægra emaciata erat, & coloris cachectici subflavescentis; appetitus erat parvus, & de doloribus Hypochondriorum subinde repetentibus conquerebatur: abdomen tamen examinatum nullam præ se duritiem ferebat.

Post

Post lene purgans assumptum incepit bis de die Extracti cicutæ in pilulas redacti Scr. j. uti, quo intra mensis spatium id effectum est, ut colli tumores manifeste minui viderentur, & dolores rariores in Hypochondriis facti fuerint.

Nihil interruptit cicutæ usum, nisi subinde interpolatum lene purgans; ægra carnis tenerioribus & aliis facilis digestionis cibis nutrita est: ventriculus enim duriora non ferebat, & paulo majori quantitate assumptaangebatur: sensim tamen tumores ita mutati sunt, ut Illustrissimus Præses, qui illam viderat ante ipsius ingressum in nosocomium, notaverit.

12. Novembris, tumorem glandulæ thyreodeæ fere integre disparuisse & alium tumorem insigniter minutum in plures minores diffiluisse, illiusque colorem livescentem in rubicundum mutatum; cæterum habitus corporis in melius non erat mutatus, ac Hy.
pochon-

pochondriorum doloribus subinde continuabat vexari: simul tunc cum solita cicutæ dosi incepit decoctio graminis, Taraxaci &c. uti, qua methodo continuavimus interpolato subinde leni purgante usque ad finem Februarii, quo tempore tumor glandulæ Thyreoideæ penitus disparuit, & alter tumor fere integre resolutus est: ægra quoque tunc collum liberrime movebat.

Ultimo Februarii die cum jam a plurimis diebus appetitu solito majori gauderet, & cibos duriores, qui ipsi denegabantur, expeteret, clam ab amicis acceptas carnes sale conditas, & fumo induratas magna copia comedit, ac desuper vinum vile copiose hausit, unde in Dysenteriam incidit, quæ nulla arte curari potuit, & ægra initio Aprilis mortua est.

In cadavere invenimus Hepar admodum parvum, durum, coloris cinero-flavescentis: Vescicula fellis erat bile spissa plena;
Me-

Mesenterium innumeri parvi scirrhi occupabant : in intestini coli sinistri cavitate millena parva tubercula fusca visui se offerebant: in reliquis visceribus nihil morboſi repertum est.

C A S U S XXIV.

Triginta duorum annorum fœmina ad nofocomium 22. Auguſti 1761. ex platea delata fuit , jam per octo dies dyſenterię ſymptomata peſſima patiens.

Dum illam primo examinavimus, fere omni horę quadrante diro tenefimo ad alvum deponendam cogebatur : tormina fere continua erant, pulſus erat celer, debilis, vires collapſæ, respiratio ſat bona, lingua ficca, fitis multa, appetitus nullus : totum corpus ſcabies deturpabat. Morbo acuto laboraverat hæc fœmina tempore quadageſimæ, a quo tempore parotis ſiniſtra erat tumida dura ſcirrhoſa, multæque glandulæ colli a parte capillata capitis ad

claviculam usque tumorem formabant superius ex aliquibus glandulis unitis compositum: inferius vero versus humerum plures erant tumores disjuncti, durissimi, nucum juglandum magnitudinem fere omnes æquantes. Color totius corporis erat ex fusco flavescens.

Illico huic fæminæ præscriptum est Decoctum mucilaginosum, cui laudanum purum admiscebatur, interne assumendum; abdomen cataplasmate emolliente involutum est, ac Enema e mucilagine gummi Tragac. & laudani puri gr. iij. aq. unc. vij. injiciebatur.

His pro ratione repetitis intra sex dies dysenteria & reliqua symptomata disparuerunt, sola superstite debilitate. Conatus sum dein ægram congruis alimentis reficere.

Dominus Chirurgus statim primo die vetante dysenteria ne curam tumorum internam aggrederer, illos mundavit ac vidit ex parotide faniem tenuem per parvam aperturam

ram fistulosam exstillare; applicuitque externe fomentum de cicuta de die, noctu vero Emplastrum ejusdem plantæ.

13. Septembris cum vires jam multum resectas viderem, ipsi mane iv. pilul. gr. iv. fumendas præscripsi & vespere totidem: continuavitque quotidie eam dosin sumere: injectiones quoque tunc cum Decocto cicutæ singulis diebus in ulcus fistulosum mane & vespere factæ sunt.

17. Eam cum aliis ægris Illustrissimus Præses vidit, quo tempore vix aliquid in tumoribus mutatum erat.

Nullam quoque mutationem notabilem observavimus ad 28. usque, qua parotis paulo minor & minus dura bonum pus fundebat, & in qua nihil amplius fistulosi deprehendebatur: reliqui vero tumores nullam mutationem exhibebant: ex manibus autem squammulæ multæ scabiosæ decidebant.

Sumpfit tunc omni die Extracti cicutæ dr. j. 3. Octobris incepit dolere parotide & reliquis tumoribus. Cæterum nec in functione vitali, nec in reliquis aliquid mutatum est. Hinc in eadem medendi methodo perreximus.

11. Notavit L. B. *van Swieten* parotidem ultra mediam suæ molis partem amississe, residuumque mollius esse, & pus bonum licet paucum inde prodire.

25. Videns illam denuo vir Illustrissimus, observavit omnes tumores pergere minui, & cutim a scabie sensim mundari.

8. Novembris bini tumores in collo aperti sunt pluribus foraminibus, ex quibus pus optimum effluxit.

14. Novembris denuo in nosocomio adiit Illustrissimus vir; scabies tunc fere tota evanuerat; tumor parotidis & glandularum colli fere totus subsederat, blanda in apertis tumoribus aderat suppuratio: sed 1. De-

cembris advertimus scabiem, quæ fere integre disparuerat, repullulare, quæ 7. ejusdem denuo minuebatur, & 16. penitus disparuerat.

18. Incidit in febrim intermittentem quotidianam, quæ dato decocto graminis cum sale Polychresto post quartum paroxysmum sublata est: supersedit usui cicutæ usque ad 2. Januarii, qua denuo incepit illius dr. j. quotidie absumere.

5. Patefecit nobis custos ambas hujus fæminæ mammas male affectas esse, quod sollicitè tacuerat, metuens ne Chirurgus scalpello aperturam faceret.

Ambæ mammæ erant tumidæ molles, materia liquida plenæ.

In dextra durities nulla percipiebatur in sinistra autem supererat circulus durus, pollicis fere altitudine.

Non potuimus a fæmina expiscari, a quo tempore hæc mamma indurata esset, tan-

tummodo dixit , quod jam ante 20. annos in illa abscessum habuisset , qui tunc temporis curatus fuerat.

9. Januarii mamma dextra sponte aperta est & magnam puris boni copiam fudit , tumore integre collabente.

Mamma sinistra incepit quoque 25. materiem ichorosam fundere , & circulus durus fere totus disparuerat.

Perrexit assumere quotidie dr. j. Extracti cicutæ ad 26. qua cicuta & carnibus ob diarrhœam , qua affecta fuit , abstinere debuit , datis vero demulcentibus intra biduum cessavit diarrhœa , & 30. iterum potuit solita cicutæ dosi uti.

6. Febr. vidit Illustrissimus Præses omnia magis & magis in melius pergere : vultus erat melior , tumor in latere sinistro colli vix aliquid reliquum monstrabat : ambarum mammaram moles suppuratione consumpta erat.

Carne vitulina & similibus facilioris digestionis cibus vescebatur, & ita sensim omnia in melius mutata sunt, ut sub finem Februarii mamma dextra mollis esset, & illius ulcus cicatrice obductum: in sinistra quoque cicatricis rudimenta conspiciebantur, & in collo vix vestigium tumoris supererat.

2. Martii ægra valde appetens clam ab amica accepta varia alimenta magna quantitate comedit, ac circa vespertas ter copiose vomuit, & incepit febricitare: aptis medicamentis per sex dies applicatis febris sedata est, & ægra denuo incepit multum appetere.

9. Hujus mensis cum vinum & carnes petiisset, quæ custos ipsi recusavit, ira ita exarsit, ut inde convulsio totius corporis orta fuerit, in qua mortua est.

C A S U S. XXV.

Vir 60. annos natus 12. Septembris 1761. ad nos delatus narravit, se ante octo annos in parte externa cruris sinistri in inferiori parte furæ sclopeto ictum fuisse, unde ulcus nascebatur, quod toto 8. annorum tempore apertum saniem fuderat cum magnis sæpe doloribus: illa vero æstate tam acris evaserat sanies, ut late & profunde crus exedisset: mense Augusto multi vermes ex illo prodierant.

Dum prima vice illum vidimus ulcus fordidissimum ita fœtebat, ut vix non conciderim, illud propinquius examinans: appetitu carebat æger, febricitabat, emaciatum erat, valde cachecticus, ac jam per tres dies ob nimios dolores absque somno.

Externe ulcus decocto cicutæ cum paucis spiritu salis statim incepit diligenter foveri: interne habuit mixturam vinosam.

Hoc

Hoc modo intra tres dies fœtore multum imminuto ulcus incepit mundari, & nausea simul ac febricula disparuerant.

17.^o Septembris sumpsit Rhei Elect. dr. j. unde appetitus optimus renatus est, & 18. carnes ipsi concessæ sunt, ac simul incepit bis de die Extracti cicutæ Scr. j. fumere: tunc quoque fomentum cicutæ sine spiritu falis ulceri applicatum est.

Cicutam optime tulit, & ulcus initio Octobris mundum pluribus in locis pus paucum tenue dabat.

Vidit illum illustrissimus Præses 25. Octobris: color cachecticus tum in lætiorem mutabatur; ex omni plaga ulceris optimum pus prodibat, & cavitas illius omni die minuebatur.

Perrexit bene habere & sensim ita mutatum est ulcus, ut dum 14. Novembris illustrissimus Præses denuo adfuit in nostro nosocomio, medium ulceris adhucdum parum

fuppurantis æquale effet marginibus , & jam rudimenta cicatricis confpicerentur ; color cachecticus disparuerat , & omnes functiones bonæ erant.

Solo cicutæ Emplastro ulcus tegebatur , & licet propter ulcus interno cicutæ ufu non amplius effet opus , illa perrexit uti , ut fanguinis acrimonia magis magisque vel corrigeretur , vel ex corpore eliminaretur.

Vigefima cum alvum per tres dies non habuiffet , hauftrum purgantem fumpfit , unde pluries purgatus eff.

Continuavit bona fanitate frui , & dum quinta Decembris denuo illum examinavit Illuftriffimus L. B. *van Swieten*, totum ulcus , excepta parva plaga in medio mariani magnitudine cicatrice obductum erat , & æger fat libere poterat per cubiculum incedere.

2. Januarii anni 1762. vidit Illuftriffimus vir ulcus integre curatum , & ægrum tunc optime

me valentem ; illum tandem mense Martio ex nosocomio dimisi , commendans illi , ut oleraceis & herbis antiscorbuticis copiose tota æstate vesceretur , & statim me accederet , si sanitas illius vel minime labefactaretur.

C A S U S · XXVI.

Virgo 30. annorum ad nos anno 1761. 14. Septembris venit cum ulcere supra malleolum externum cruris sinistri lato , profundo , quod jam ab anno a contusione ortum nullis remediis potuerat curare , & multum saniei fundebat ; crus circum malleolum tumebat , & ægra jam per sex menses admodum difficile crure uti poterat , menstruis jam in quartum mensem carebat : aspectu tamen sat sana videbatur.

Externe more solito linteis carptis decocto cicutæ madidis cavitationem ulceris implevit expertissimus Chirurgus & desuper fomentum cicutæ applicuit.

15. Septembris pulvere hydragogo purgata est, & 16. incepit bis de die Extracti cicutaë in pilulas redacti Scr. j. sumere.

Omni octavo vel nono die tempore curæ sumpsit pilul. N. 22.

Dum 25. Octobris illam vidit illustrissimus Præses, tumor cruris paulo minor erat; non multum dolebat; pus tamen in ulcere nullum.

30. Octobris pus tenue paucum ex ulcere prodire advertimus, quod sensim ita in melius mutatum est, ut 14. Novembris optimum esse viderit, Illustrissimus L. B. van Swieten: tumor quoque penitus conciderat, & cavitas ulceris fere omnino impleta erat, puella optime habente.

18. Novembris menstrua prodire, quæ debite per 4. dies fluxerunt, nec eo tempore cicuta abstinuit.

25. Cum jam inciperet cicatrix formari, solo cicutæ Emplastro ulcus tegebatur: continuavit tamen eandem extracti dosin sumere, quamdiu apud nos fuit.

5. Decembris cicatricem perfectam vidit Illustrissimus vir, & puellam optima fanitate gaudentem, quæ vigesima ejusdem mensis nosocomium reliquit.

C A S U S XXVII.

Fæmina 33. annorum 6. Octobris nosocomium accessit.

Ante binos annos pustulas copiosas habuerat in palato posteriori, quæ brevi post suum ortum albæ evadebant, & materiem albam dabant.

Paulo post ortæ sunt aliæ similes in posteriori linguæ parte, magnum ipsi dolorem creantes, quæ quoque brevi albescebant, & eandem ac priores materiem fundebant.

Ab eo tempore semper doluit, & lingua incepit sensim magis magisque tumere, hinc inde findi.

Dum prima vice illam vidimus, vix cavitas oris tumentis cancrofæ linguæ sufficiebat, in qua ultra decem fissuras profundas conspiciebamus: interstitia durissima fissurarum tenacissima pelle alba tegebantur, & tantos dolores patiebatur ægra, ut fere omnes noctes jam a 15 diebus infomnis transigeret; valde emaciata erat, appetebat tamen, verum solidos cibos manducare impar, liquida nonnisi magno cum dolore deglutiebat; alvus cæterum jam per plures dies emanabat.

Datum est ipsi sequens.

R. Aq. laxat D. U. unc. v.

Sal. Polychr dr j.

Syr. Rolar. solut. unc. β

M.

S. omni $\frac{1}{2}$ hora duo cochlearia sumat.

Hoc modo octies purgata est.

Do-

Dominus Chirurgus sæpius per diem linguam decocto cicutæ abluit, & dein extracto cicutæ, melli Rosarum admixto totam linguam illinivit, jussitque, ut ægra linguam immotam teneret, quamdiu posset.

Septima Octobris inchoavit ægra frequenti mixtura uti.

Aq. Flor. Rhæad. unc. iv.

Extract. / Cicut. Scr. ij.

Syr. Papav. alb. unc. β

M.

S. diurno tempore quatuor dosibus absumat.

Sub usu hujus mixturæ dolores sensim minuti sunt, ita ut undecima Octobris inceperit noctu somnum pacatissimum habere, & levia alimenta facilius deglutire.

15. Inchoavit omni die Extract. cicutæ dr. j. in mixtura absumere.

Hac methodo effectum est, ut dum Illustrissimus L. B. van Swieten illam 25. examinavit, lingua minus dolens & paulo mi-

nus tumida esset: reliqua autem omnia invenit, uti supra descripta sunt, nisi quod juscula, panatelas, olera &c. facile deglutiret.

Dedi tunc ipsi annuente Illustrissimo Præfide Extract. Cicut. dr. j. β omni die absumentam, quam dosin optime tulit.

Omni die advertimus pelliculam fissurarum interstitia tegentem sensim magis magisque molliri, & hinc inde a lingua separari & fissurarum labia minus retorrida fieri.

Decima Novembris pro prima vice pus optimum in variis linguæ partibus observavimus: externe & interne eadem continuata sunt.

14. Illustrissimus Præses vidit optimum fere ex omnibus fissuris pus prodiens, & notavit fissurarum labia magis ad se invicem appropinquare, linguam multum detumuisse; pelliculam antea linguæ tenaciter adhærentem fere omnem separatam, & ægræ
fa-

faciem multo melius coloratam esse, commendavitque, ut methodo, qua inceptum fuerat, exacte pergeremus.

Dum 5. Decembris denuo adfuit Illustrissimus vir, pergebat optima esse suppuratio, lingua mole fere naturalis erat, & ægra nullos dolores conquerebatur, nisi sub linimenti applicatione, ac denuo corpori carnes incipiebant renasci.

Eadem interne & externe adhibita sunt ad 24. qua ægra quoad linguam optime proportionem mali habens, incepit gravis fieri, capite dolere, febricitare: pulsus tamen erat æqualis, non nimis plenus, sitis mediocris, appetitus quoque sat bonus.

Abstinit ægra a cicuta & Emulso refrigerante usa est.

25. Vespere eruperunt menstrua, quibus jam per quinque menses caruerat, & 26. febris carebat, optime fluentibus mensibus, qui 29. cessarunt, fœmina optime valente.

1. Januarii 1762. denuo incepit priorem cicutæ dosin fumere: & sequenti die videns illam Illustrissimus Præses lætus observavit, omnia semper magis in melius verti, suavit-que ut ægræ admodum appetenti leviores carnes concederentur: cum lingua mole fere naturalis maxima sui parte mollis esset: carnes lente potuit masticare, & illas optime tulit fæmina.

16. Ligna in area nosocomii flante Borea in ordinem juvit disponere; frigore capta est, quod excepit calor magnus, continuus cum magna siti, & noctu accessit faucium dolor.

17. Erat pulsus plenus, durus, celer; fauces tuebant inflammatae.

Sanguis ad lib. i. vena eductus brevi crusta densa phlogistica tegebatur.

Enema injectum bis alvum subduxit, & pro medicamento datum est sequens.

℞. Tamarind. unc. ij.

Coq. c. aq. q. S. per $\frac{1}{2}$ horam sub finem
addendo folior. Alexandr. dr. iij.

Rad Fœnicul unc. j.

Relinque in fervida digestione per $\frac{1}{2}$ horam
Vase clauso Colat. lib. j. β adde.

Nitri puri dr. j.

Syr. Rosar. solut. unc. j. β

S. omni bihorio unc. ij. fumat.

Pro potu habuit decoctum commune æ-
gris nosocomii ex hordeo crudo, radicibus
acetosæ & Bardanæ cum oxymelle simplici:
Gargarismate ex speciebus emollientibus &
resolventibus facto sæpius usa est: loco lini-
menti, quod hucusque linguæ applicatum
fuerat, datus est linctus ex mucilagine Al-
thææ, & melle rosarum, & cataplasmate e-
molliente totum collum involvebatur.

Intra binas dies sæpius purgata est cum
integrali fere faucium collapsu, & magna fe-
bris remissione: unde postea solo Emulsiō

usa , die 21. Januarii ab angina & febre libera fuit.

22. Linimentum ex melle & Extracto cicutæ linguæ denuo applicatum est , & vespere menstrua denuo adquisivit, minus copiosa tamen , quam mense præcedenti.

27. Sumpsit Rhei. dr. j. quæ sexies alvum movit , & sequenti die licuit ipsi carnis tenerioribus vesci.

30. Incepit bis de die Extract. cicutæ in Pilul. redacti Scr. j. sumere : tunc hinc inde tantum in variis linguæ fissuris aliquid puris advertebatur.

6. Februarii invenit Illustrissimus Præses fæminam bene valentem , & vidit rudimenta cicatricum fissurarum plurium linguæ cavitates incipientia obducere : supererant tamen adhuc aliqua interstitia dura , & fæmina de dolore obtuso sine tumore ad radicem nasi conquerebatur : cæterum bene habebat.

Continuata fuit dicta cicutæ dosis omni die, & commendavi, ut sæpius lac aquæ mixtum cum melle naribus attraheret: ad leniendum narium dolorem.

II. Dedi ipsi haustum purgantem, unde optime purgata fuit sine levamine doloris nasi, qui tactu externo augebatur: plures fissuræ linguæ cicatrice fere integre obductæ erant, & ægra quoad reliqua sana erat.

Perrexit interne & externe cicuta uti, & simul quater de die decocti lignor. unc. iij, sumpsit.

Hoc modo continuatum fuit toto mense Februario & Martio, quo tempore omnes fissuræ linguæ cicatrice obductæ fuerunt, dolor nasi disparuit, & fæmina tam bene habebat, ut vellet ad solitos labores redire.

Illustrissimus Præses 3. Aprilis omnia rite examinans, invenit adhuc aliquid duri in medio linguæ, & suavit, ut ægra adhuc per aliquod tempus cicuta in nosocomio ute-

retur: externe autem nihil amplius applicatum est.

Eadem ergo cicutæ dosi perrexit uti: bubula, aliisque solidis cibis nutrita egregie custodes laborando sublevabat.

Initio Junii rogavit denuo, ut liceret ex nosocomio discedere; cumque substantiam linguæ naturalem inveniret Illustrissimus L. B. *van Swieten*, illam dimisimus cum scatula pilulis de cicuta plena, ut adhuc per aliquod tempus continuaret uti hoc remedio.

Pluries ab illo tempore illam vidit Illustrissimus Præses, & ultima vice mense Februario anni 1763. illam reperit optime valentem, cum ad nos grato animo mota denuo accessisset.

C A S U S XXVIII.

Fæmina 53. annorum 24. Novembris ad nos rure venit. Huic glandula Thyreoidea valde tumida admodum dura erat;
totum

totum colli latus dextrum late antrorsum & postrosum a clavicula usque in partem capitis capillatam rigidissimum & durissimum erat: retro angulum maxillæ inferioris elevabatur tumor ovi anserini figura, cujus apex obtusus cuti quasi innatus videbatur, dum acutior apex foris alte prostabat: hic tumor durissimus scirrhusus erat, lividus & a decem diebus valde dolens; dolor urens continuus, lancinansque vehementissime per intervalla ægram ita afficiebat, ut præ doloribus somno careret, febricitaret, & appetitum fere omnem amisisset: stando vel sedendo dolores augebantur, hinc continuo decumbere debebat.

Causam mali quærentibus narravit ægra se 25. Junii hujus anni noctem in agro transigisse ac dormivisse per plures horas capite supra lapidem reclinato: evigilantem valde friguisse, & collum jam tunc rigidum fuisse; elapsis vero ab eo tempore tribus hebdoma-

dis jam omnia fuisse in eo statu, in quo nunc conspiciebantur, nisi quod præter liberum capitis motum impeditum, nihil mali passa fuisset, donec 14. Novembris post validum corporis exercitium dolere incepisset.

Curam hujus fæminæ incepti haustu purgante, & statim primo die, more in talibus casibus apud nos solito, partes duræ decocto cicutæ diurno tempore diligenter fotæ sunt, & noctu Emplastro cicutæ tectæ.

25. Novembris dolores æque magni ac antea noctem inquietam fecerunt, appetitus tamen melior erat.

Incepit ægra bis de die Extracti cicutæ Scr. j. sumere, ac simul emulso paregorico usa est: diæta fuit ex cibis levibus facile digerendis.

Quatuor primis diebus nullum a cicuta levamen habuit, unde 29. Novembris ter de die Extracti cicutæ Scr. j. sumpsit.

Hac doſi dolores ſenſim pauliſper leniti ſunt, & 3. Decembris ajebat ægra, ſe magnum levamen percipere: melius dormiebat, magis appetebat, & alvus naturalis omni alterno die deponebatur.

Quinta Decembris fæminam vidit Illuſtriſſimus Præſes & omnia invenit, ut prius deſcripta ſunt; pulſus tamen tunc fere omnino erat naturalis.

Nunquam integre ceſſarunt dolores, & tumorem immutatum adhuc invenit Illuſtriſſimus vir 2. Januarii 1761. ægra tamen quoad reliqua ſatis bene habuerat, colore ſat naturalis erat, & carnes teneriores ſub finem Decembris ipſi conceſſeramus: ob augmentum doloris dum ſtabat, vel paulo diutius erecta ſedebat fere continuo lecto affixa manere cogebatur.

3. Januarii incepit omni die Extracti cicutæ dr. j.β in mixtura abſumere.

7. Dolores paulo majores fuerunt in scirrho, qui magis elevari videbatur, & in apice molliri, ægra quoque febricula afficiebatur, & magis sitiebat solito, quapropter carnibus abstinuit: cicuta tamen perrexit uti simul cum Emulso paregorico.

9. Cutis in apice scirrhi erosa est, ex cujus ulcusculo sanies acris prodiit: spatio trium dierum tria talia ulcuscula sibi vicina orta sunt eandem materiem fundentia: nulla tamen nec in rigiditate musculorum, nec in tumore glandulæ Thyreoideæ mutatio observabatur.

14. Totus apex scirrhi exulceratus pus subflavescens tenue dabat; ulcus texit expertissimus Chirurgus linteis carptis decocto cicutæ imprægnatis, ac desuper fomentum per diem applicuit, noctu autem Emplastrum cicutæ. In cura Medica nihil mutatum est.

Suppuratio hæc, cujus tempore dolores leniores fuerunt, duravit per quinque dies: donec

donec 19. ulcus jam ad tertiam circiter pollicis partem in substantiam scirrhi excavatum incepit subito gangrænescere : .ægra multum febricitare & dolores ingentes pati.

Eadem externe applicata sunt , interne autem sola emulsa paregorica copiose fumenda habuit.

20. Magna copia `materiæ amurcofæ cum fibris nigris mixtæ effluxit : ulcus multo latius & profundius erat & totum gangrænosum : dolores autem ut die præcedenti : noctu tamen per intervalla dormiverat , pulsus sat æqualis erat , minus celer : & massa scirrhosa satis facile cedebat digito tangenti.

Externe applicatum est fomentum ex cicuta & cortice Peruviano factum , addito spiritu falis acido.

Interne præter Emulsa paregorica data est sequens mixtura.

℞. Aq. Flor. Rhæad. unc. v.
Vini boni Aufriaci unc. ij.
Extract. Cort. Peruv. dr. v.
Syr. Diacod. unc. j. β

M.

S. omni bihorio duo cochlearia sumat.

Hac methodo tractata est ægra per tres dies, quo tempore continuavit talis materies ex ulcere effluere: reliqua autem fere in eodem statu permanere.

Quarto die five 23. Januarii dum Chirurgus mane ulcus deligare vellet, massa nigra facile in consistentiam pultaceam pressione redigenda simul excidit: sic totus scirrhus ablatu est, superstitite tantum circulo duro vix septimam partem prioris tumoris faciente.

Vidi in tota superficie ulceris pus bonum: ægra parum febricitabat, & ob magnam dolorum levamen alacris erat: abstinent ergo medicamentis internis, & externe de-

nuo

nuo incepit deligatio cum decocto cicutæ fieri : sæpius juscula carniū & alia leviora alimenta per diem exhibita sunt , ut vires à magnis doloribus & feбри debilitatæ restituerentur.

Sensim ægra hoc modo vires recuperavit : margines duri circum ulcus perrexerunt optimum pus dare , sensim minui , & ægra lenissimis tantum doloribus affecta noctes tranquillas transigere , & appetitu bono frui.

6. Februarii vidit gaudens Illustrissimus L. B. *van Swieten*, sicut & multi alii illum comitantes Medici & Chirurghi expertissimi, qui ægram quoque cum Illustrissimo viro quinta Decembris viderant, nunc de tanto scirrho vix aliquid superesse : mulier tunc bono animo erat & optimo appetitu gaudebat ; unde data ipsi prius Rhei. dr. j. 8. carnes ipsi denuo concessæ sunt.

13. De novo incepit bis de die Extracti cicutæ gr. xvj fumere , ut quod de circulo duro supererat , celerius confumeretur.

Toto mense Februario ægra fat bene habuit , subinde e lecto surrexit , & dum initio Martii denuo adfuit Illustriffimus Præfes, tantum parva portio dura in parte superiori ulceris supererat , reliquum circuli penitus vel fufum , vel fuppuratione confumptum erat : medium ulceris marginibus æquale erat , & rudimenta cicatricis ubique confpiciantur.

Licet tamen tam feliciter sublatus fuerit magnus ille fcirrhus , nulla in glandula Thyreoidea nec in mufculis induratis dextri lateris colli mutatio facta eft.

Perrexit ergo ægra cicuta uti ad 13. Martii , qua cum ulcus a fcirrho relictum jam perfecta cicatrice obductum efferet , & præter impedimentum liberi capitis motus nullo incommodo afficeretur , rogavit , ut
lice-

liceret ipsi cicuta abstinere, quod ipsi concessum est : fateor enim, me vix spem ullam habuisse, fore, ut cicuta aliquid contra per-
tinacem in hac sc̃mina musculorum duritiem & immutatum hucusque glandulæ Thyreoidæ tumorem efficere posset : ac ideo viribus augendis, & corpõri jam dudum emaciato humectando & nutriendo studui, quod debitis alimentis eo effectu tentavimus, ut quarta Aprilis, dum ægram vidit Illustrissimus Præses, habitum corporis quoad colorem & torositatem in melius notabiliter mutatum invenerit : cicatrix cæterum tunc erat perfecta.
Emplastro Cicutæ tecta.

Per binos menses, quibus sana mansit sc̃mina variis solventibus & emollientibus externe applicatis musculorum colli rigiditatem tollere frustra tentavimus.

Initio Junii sine nota causa sc̃mina angina inflammatoria correpta fuit, & statim primo die deglutitio fuit admodum difficilis.

Per

Per tres dies omni artis molimine conati fuimus ægræ levamen adferre: verum omnia incassum adhibita sunt, & quarto morbi die mortua est.

Post mortem in abdomine præternaturale invenimus nihil; pulmones erant boni, cor magnum erat, & in aorta ascendente plures circuli offei deprehendebantur: in collo omnes partes usque ad Oesophagum lignea fere duritie præditæ erant, & Oesophagus tertie sui parte tumidus, & inflammatus: glottis quoque multum tumebat & rubebat.

C A S U S XXIX.

Fæmina 31. annorum ad nostrum nosocomium 8. Januarii 1762. delata jam a semi anno mensstruis carebat, quibus emanentibus statim inceperat magnos pati dolores in pelvi, qui raro intermittebant; a quatuor mensibus animadverterat hypogastrium plus solito elevari, tumere, & jam per

tres .

tres menses effluebat ex pudendis materies glutinosa, acris, admodum urens: reliquæ tamen corporis functiones sat bonæ manserant, donec circa medium Decembris inceperit dysuria laborare.

Abdomen examinantes invenimus corpus durum extra pelvim ad trium circiter pollicum altitudinem prominens, transversim oblongum, ad tactum multum dolens.

Causam mali dicebat ægra esse, quod tertio die menstruum, quæ ordinario per quinque dies habere solebat, ex scamno, supra quod stabat, aliquid parieti applicatura, ceciderit, unde territa fuit admodum, multum doluit, suppressa sunt menstrua, quæ ab eo tempore non apparuerunt.

Curam mali tentavi optimis medicamentis solventibus, emenagogis, diureticis & purgantibus usque ad initium Febr: cataplasmata varia externe applicata sunt, nihil autem mutatum est; ægra perrexit dolere, tumor idem man-

R fit;

fit; fluxus materiæ acris eodem modo ac ante continuavit, & ægra non facilius urinam mifit.

Cum irrita hucusque viderem alia medicamenta, cicutam tentare decrevi, ac ægræ tertia Februarii bis de die Extract. Scr. j. fumendum dedi: externe fomentum de cicuta applicatum est.

8. Februarii sine dolore potuit urinam copiosam mittere, fluor albus copiosior erat, minus acris, & dolores in pelvi minui videbantur: ægra appetebat, & alvus sponte omni die prodibat: sic continuavit ægra habere toto hoc mense, quo corpus illud durum multum minutum est.

2. Martii incepit pluries per diem purgari cum torminibus, ac ideo cicuta abstinit, cujus loco usa est decocto radicis Salab. quod dolores brevi lenivit, & intra triduum alvum omnino naturalem reddidit.

8. Sumpfit Rhei Elect. dr. j. ut languens appetitus denuo excitaretur: optime purgata est, & die sequenti bonus erat appetitus, carnibus tamen debuit adhuc per aliquod dies abstinere.

10. Denuo incepit cicuta uti, tumor omni die minor factus est, dolores leniores, & fluor albus, licet adhuc copiosus, minus acris evasit.

19. Nihil de tumore tactu poterat amplius percipi; dolores penitus evanuerant, fluor albus parcior erat, & ægra bene valebat.

Continuavit eandem Extracti cicutæ dosin fumere, ast fomentum omissum fuit: ægra potuit extra lectum esse, & in cubiculo deambulare; sensim minutus est fluor albus, & 29. Martii penitus cessavit, ægra optime habente.

Quarta Aprilis Illustrissimus Præses, qui ægram in cubiculo jacentem, in quo exan-

thematicis morbis laborantes decumbere solent, propter aulam videre nondum potuerat, illam examinavit, nunc bene valentem, & ab illa morbi historiam audivit.

Cicuta adhuc usâ est ad 12. Aprilis, qua nosocomio exivit sana. Mense Majodum illam vidi, ait sub finem Aprilis menstrua se habuisse ac optima sanitate frui.

C A S U S XXX.

Puella 19. annorum initio Decembris anni 1761. dolores pungentes validos in mamma dextra sub papilla percepit, mammamque tangendo tuberculum durum parvi ovi gallinacei magnitudine deprehendit, quod antea nunquam adverterat: paucis diebus postea tota mamma valde tumebat; tuberculum durum mole valde auctum erat, & dolores acutissimos lancinantes patiebatur.

Sumpto purgante dolores parum leniti sunt: verum brevi post æque vehementes redierunt.

Variis usa est medicamentis ab aniculis & balneatoribus acceptis, & externe varia applicuit Emplastra, quæ malum non exacerbarunt.

Circa medium Januarii 1762. adivit Chirurgum qui malum Emplastris variis & quodam pulvere interne dato tentavit auferre.

Ab eo tempore malum magis magisque in pejus mutatum est, & 20. Februarii ad latus internum papillæ mamma exulcerata est cum dolorum augmento: per tres vel quatuor dies ajebat ægra materiem viridem pauca quantitate ex ulcere effluxisse, manente eadem tumoris mole & duritie. Quinta Martii illam ad nostrum nosocomium misit Illustrissimus L. B. van Swieten.

Puella tunc cachecticum colorem habebat, emaciata erat, appetitus languebat; alvum autem naturalem fere omni die secedere ajebat: menstrua jam bis emanferant; mamma valde tumida erat, & moles scirrhusa

durissima, magnum ovum anserinum magnitudine superans, medium mammæ lobum occupabat: cutis supra scirrhum livescebat: ulcus quoque ad latus internum papillæ ortum livescentis coloris erat, & paucam fanem dabat; jam per plures noctes admodum parum præ nimis doloribus quieverat: pulsum tamen habebat sat naturalem.

Mamma statim incepit decocto cicutæ foveri, & curam internam cum Rhei. Elect. dr. j. unde aliquoties purgata est cum appetitus emendatione, inchoavi. Vespere sumpsit Syrupi Diacod. unc. j. cum laudan. liquid. Sydenh. gtt. V, & noctu sat bene dormivit.

6. Martii bis de die Extract. Cicut. Scr. j. sumpsit, dato semper vespere paregorico.

Per sex primas dies, quibus hoc modo tractata fuit, parum mutationis animadvertimus, nisi quod dolores paulo leniores facti sint, & noctes habuerit tranquilliores.

Septimo die, quo cicuta utebatur, five 12. Martii incepit ulcus majus fieri, & copiosioreni faniem fundere; dolores quoque intenſiores evaſerunt; cæterum pulſus vix mutatus erat: Emulſum cum Diacodio prioribus additum eſt.

13. 14. 15. Fere eodem modo habuit, & ulcus perrexit in toto ambitu gangræneſcere, & mammam exedere.

17. Ait ægra dolores remiſiſſe, & ſe noctu per plures horas dormiviſſe: eadem tamen erat febris, & gangræna integram maſſam ſcirrhoſam, quæ hinc inde a fanis ſeparari videbatur, occupabat.

Abſtinuit tunc a cicuta, cujus loco mixtura ſequenti uſa eſt.

℞. Extract. Cortic. Peruv. unc. β

Vin. Bon. Auftriac. unc. j.

Aq. Flor. Rhæad. unc. vj.

Syr. Diacod. unc. j. β

M.

R 4

S. omni

S. omni bihorio duo cochlearia fumat.

Externe fomentum ex decocto cicutæ & corticis Peruviani cum addito pauco spiritu falis acido applicabatur, unde diem noctemque sat tranquilla transegit.

18. Mane dum Chirurgus Emplastrum, quo ulcus noctu tectum fuerat, abstulit, simul cum linteis carptis tota massa scirrhusa gangræna tabefacta excidit, magno foramine in mamma relicto usque ad costas penetrante: parietes ulceris bono pure tectæ erant, & ægra vix febricitabat: sic totus separatus est scirrhus a partibus sanis: remanfit tamen alter nucis juglandis mediocris magnitudine pollicem circiter supra papillam situs, quem antea non perceperamus.

Hac die adhuc cum priori fomento ulcus deligatum est, & perrexit eadem medicamenta assumere.

19. Decocto cicutæ imprægnatis linteis carptis cavitas ulceris implebatur: fomentum-

tumque ejusdem plantæ desuper applicabatur.

Abstinuit ægra omni medicamento interno, & cibis aptis vires a febre & doloribus debilitatæ brevi refectæ sunt.

27. Extra lectum per plures horas esse potuit. Toto hoc tempore perrexit ulcus moderata quantitate pus bonum dare.

28. Denuo incepit bis de die Extracti cicutæ gr. xvj. fumere, ea spe freta, fore, ut a parvo illo scirrho relicto etiam curaretur, sub cujus usu continuavit optime habere.

4. Aprilis ægram vidit Illustrissimus Præses: mammam examinavit, & cavitatem a scirrho relictam cum parietibus optimum pus fundentibus, magnumque gaudium testatus est vir humanissimus de felici adeo, non minus quam celeri cicutæ in hac ægra effectu; suavitque, ut illo medicamento propter parvum scirrhum relictum continuaret uti.

Ab hoc tempore cavitas ulceris fenfim minor facta est, & continuavit bonum pus ex illa prodire minori quantitate: puella quoad reliqua optime habens, maximam partem diei extra lectum transegit, & appetitus ita auctus est, ut 14. Aprilis debuerint ipsi carnes concedi: bubula tamen, & aliis durioribus cibus ipsi non licuit vesci.

Corpus torositatem præteritam fenfim recuperavit, color cachecticus disparuit, & 23. Aprilis proruperunt menstrua, quæ per quinque dies debite fluxerunt, & quorum tempore perrexit dictam cicutæ dosin fumere.

Initio Martii cum cavitas ulceris ita impleta esset, ut medium illius fere æquale esset marginibus, solo Emplastro cicutæ tegebatur. Durities in superiori mammæ parte relicta nucem tunc avellanam magnitudine non superabat: perrexit tamen adhuc cicutam fumere usque ad 16. Maji, qua illa absti-
nuit:

nuit: nullam enim amplius duritiem in mamma percipiebamus, & in ulceris superficie adhuc dum aliquid puris dante cicatricis rudimenta conspiciebantur.

21. Denuo menses debita copia fluxerunt. Initio Junii vidit denuo Illustrissimus Præses puellam hanc: erat tunc ulcus cicatrice obductum, mamma tota mollis, optima sanitate fruebatur, ac paucis post diebus ex nosocomio discessit. Illam ab eo tempore sæpius vidi optime valentem

C A S U S XXXI.

Fæmina 29. annos nata 18. Maji ad nos delata 1. Martii infantem feliciter pepererat, quem lactaverat sine incommodo ad 16. ejusdem mensis, qua die post frigidæ haustum ambæ mammæ cum dolore valde intumuerunt: sinistram potuit fugere infans, quæ post aliquot dies detumuit, dextra autem licet brevi indolens fue-

fuerit , mansit tumida , & sensim magis magisque indurata est.

Cum primo illam vidimus , ait , dum ante 15. dies farcinas elevabat , mammam ad thoraculum valde attritam fuisse , unde statim inceperat dolere : dolor urens , subindeque lancinans erat , & sensim ita auctus , ut ancillaribus laboribus penitus inepta opem apud nos quæreret.

Externe fomentum de cicuta diurno tempore diligenter applicatum est , noctu tota mamma Emplastro ejusdem nominis tegebatur.

Cum ægra quoad reliqua sana esset & boni appetitus ; stricta Diæta non præscripta fuit : licuit ipsi carnes comedere , & statim incepit bis de die Extracti cicutæ Scr. j. fumere , & 28. Maji cum nulla sensibilis mutatio adverteretur , aucta est dosis , & ter de die Extracti Scr. j. sumpsit.

30. Maji mamma magis dolebat, & videbatur illius renitentia minui : præscribatur idcirco haustus purgans , quem sequenti die sumpsit optimo cum effectu ; dolor remisit, & 1. Junii videbatur moles mammæ paulisper minuta.

Incepit denuo per diem Extracti dr. j. absumere: & 4. Mensis dum vidit hanc fæminam in nosocomio Illustrissimus L. B. van Swieten, observavit tumorem in parte superiori in plures partes diffilire : dolores fat facile ferebat , & quoad reliqua sana erat.

9. Datum est ipsi denuo purgans , quod postea omni octavo die sumpsit, diebus intercalaribus cicuta utens. Hac methodo mammæ moles ad minimum una tertia parte sub finem Junii minuta erat, & residuum tumoris duri in plures partes variæ magnitudinis divisum ; dolores erant mediocres & vires optimæ.

Ex his spem aliquam concipiebamus futuræ per resolutionem curationis : verum 6. Julii incepit mamma denuo magis tumere ; dolere : ægra sæpius horrores & noctu magnam febrim habuit.

Dum sequenti die illam vidi , in media mamma fluctuatio obscura percipiebatur , & dolores , febrisque erant sat valida.

Eadem ac in initio externe applicata sunt. Interne autem loco cicutæ emulso Diacodiato usa est , & copioso hordei decocto.

Alimenta fuere juscula carniæ cum hordeo & farinaceis levioribus , panatellæ &c.

Sub horum usu febris & dolor sat moderata fuerunt , suppuratio optime processit , & 11. Julii febris erat pauca , dolores minores : & magna fluctuatio in mamma percipiebatur : supererant tamen tria tubercula dura in parte superiori sat magna , ac ideo aperturam roganti ægræ recusavimus , ut facilius in suppurationem deduci possent : ve-

rum 16. in parte inferiori mammæ apertura sponte facta est, ex qua copiosum pus effluxit cum magno mammæ collapsu, & præter illa tubercula, de quibus jam dictum est, nulla durities in mamma supererat.

Ulcus decocto cicutæ deligabatur, & omni die magna quantitas puris effluxit, quod in initio tenue, sensim optimum evasit.

22. Magna abdominis tormina passa est, & sæpius alvum habuit, ajebatque se jam ab aliquibus diebus acidum eructare, quod sequens mixtura brevi immutavit.

℞ Aq. Flor. Rhæad. unc. vij.

Lapid. Cancr. dr. j. β

Laud. Liq. Syd. gtt. xv.

Syr. Diacod. unc. β

S. omni bihorio duo cochlearia sumat.

24. Julii Rhei. Elect. dr. j. sumpsit, unde aliquoties purgata est, cum appetitus antea fere deleti restitutione.

Abiti.

Abstinuit dein omni medicamento interno usque ad 2. Augusti, qua denuo Extracti cicutæ gr. xvj. sumpsit: puris omni die ex mamma effluentis copia sensim minuta est, & ægra continuavit optime habere: moleculæ duræ superstites manifesto minutæ sunt, & appetitus ita auctus est, ut prima Augusti carnes debuerint ipsi concedi.

10. Ulcus mammæ multum minutum solummodo parum puris dabat & videbatur brevi cicatrice obducendum: duæ e moleculis duris post mammæ suppurationem superstitis disparuerunt, tertia autem adhuc mediam prioris voluminis partem servabat. Solo tunc cicutæ Emplastro mamma tegebatur, & cum alvus, quæ toto fere curæ tempore sponte cesserat, jam per triduum emanisset, haustum purgantem sumpsit, & sequenti die denuo incepit cicutam sumere.

Bene habuit toto mense Augusto, sub
cujus finem ulcus penitus bona cicatrice ob-
ductum erat, & molis duræ in superiori par-
te mammæ pauculum tantum supererat.

Voluiffem fæminam adhuc per aliquod
tempus in nosocomio retinere: verum diutius
manere recufavit, & illam, data tamen ipfi
bona pilularum cicutæ dofi, ut continuaret
adhuc illis omni die uti, dimittere debui.

Prima Januarii 1763. illam vidi optima
fanitate gaudentem, & mamma ejus ubique
mollitiem naturalem habebat.

C A S U S XXXII.

Vir circiter 40. annos natus anno 1762.
initio Octobris ad noſtrum noſoco-
mium venit. Hic jam per ſex annos ſcro-
tum valde tumidum & durum habebat, &
jam a quatuor annis & ultra ex binis aper-
turis fiſtuloſis pars major lotii, dum uri-
nam mittere volebat, elabebatur, & ſæpe
S dolo-

dolores magnos patiebatur. Cæterum sanus erat.

Variis medicamentis tum interne tum externe sine effectu usus fuerat.

Apud nos sumpsit primo purgans, dein 5. Octobris incepit bis de die Extracti cicutaë Scr. j. assumere, & externe pars decocto cicutaë diligenter fota est.

Toto mense Octobri cicuta usus est sine sensibili tumoris mutatione: cæterum bene habuit.

Initio Novembris sumpsit haustum N. 9. unde alvus decies mota est: dein ter de die incepit extracti cicutaë Scr. j. sumere, & omni octavo die ipsi purgans datum est.

Hac methodo sensim durities & tumor scroti ita minuta sunt, ut sub finem Januarii nihil omnino superesse viderint magnificus *Störck* & plures Medici, qui ægrum antea sæpius inviserant.

Urina ex aperturis fistulosis raro & admodum pauca effluebat, hinc cum dolores quoque valde rari & lenes essent, ex nosocomio discessit.

C A S U S XXXIII.

Puella 23. annorum 17. Decembris anni 1762. ad nos delata est. Hæc ante tres menses post cerevisiæ frigidæ haustum matutino tempore antequam jentaculum sumpsisset, inceperat ventriculo dolere & ab assumptis cibis angi.

Dolor & anxietas in initio tolerabiles erant, verum intra sex hebdomadas ita increverant, ut ægra præ metu doloris & anxietatis sæpius alimentis abstineret.

Mense Octobri accessit vomitus, sæpius post cibos assumptos repetens: leviora tamen alimenta parva copia sumpta frequentius servabat ventriculus, donec mense Decembri inceperit etiam levissima vomitu rejicere.

Sic habuerat ad 13. qua Medicus varia ipsi sumenda dedit, & externe applicari iussit: quibus non obstantibus pluries per diem vomere perrexit.

Dum puellam vidimus, aspectu sat sana erat, respiratio parum impedita, pulsus nihil mali indicans: verum in regione Epigastrica infra scrobiculum cordis corpus durum tactu obscure percipiebatur.

Tentavi malum demulcentibus, paregoricis, applicato externe scuto stomachico opiato, & omni die injectis enematibus per sex dies superare, sed in cassum omnia adhibita fuerunt.

23. Decembris dedi ipsi sequens.

℞. Aq. Florum. Rhæad. unc. vj.

Extract. Cicut. dr. j.

Laudan. Liq. Syd. gtt. xx.

Syr. Diacod. dr. vj.

M.

S. intra biduum cochleatim assumat.

Primo die mane bis vomuit & semel post meridiem : bis vero postea assumptum jusculum retinuit , & noctem pacate transiegit.

24. & 25. Idem contigit : verum aiebat vomitum esse minus dolorificum.

26. Tantum semel binis horis post prandium partem assumptorum rejecit : ad alvum per biduum emanentem ciendam enema ipsi datum est.

Illi potus erat ex anaticis lactis , & decocti hordei partibus compositus , de quo sæpius parva quantitate hauriebat : juscula quoque & tenues panatellæ ipsi pluries per diem porrigebantur : scutum stomachicum ipsi molestum sponte abstulit , nec aliud dein habuit.

27. & 28. Non vomuit , & 29. sumpsit decoctum N. 20. a quo octies intra biduum alvus mota est cum aliquo anxietatis

levamine; eadem tamen fere manfit infra fcrobiculum cordis durities.

31. Decembris incepit mixtura fequenti uti.

℞. Aq. Flor. Rhæad. unc. vj.

Extracti Cicutæ dr. j. β

Syr. Papav. alb. dr. vj.

M.

S. fumat ut priorem.

Sub ufu hujus mixturæ ægra omni die alvum habuit, & 9. Januarii 1763. tantus erat appetitus, ut cibus liquidis minime contenta foret: quare cum jam per tot dies vomitus ceffaffet, parvam carnis vitulinæ portionem cum fruftulo panis triticei concessimus, quæ avide manducavit: verum hora post partum omnia vomitu rejecit, & vefpere adhuc femel vomuit.

Perrexit ægra cicuta uti, carnibus denovo abftinuit: & vomitus iterum emanfit.

14. Januarii invenimus Epigastrium molitiei naturalis : verum dolorem leniter urentem & majorem ad tactum ventriculi sensibilitatem conquerebatur.

Sumpsit denuo intra biduum decoctum Numero 20. unde circiter decies purgata omnis dolor sublatus est , & ægra usque ad 20. Januarii omni medicamento abstinuit.

21. Data est ipsi Rhei dr. j. quæ aliquoties alvum movit , & 23. vitulina & aliis tenerioribus carnibus cum bono appetitu & sine incommodo potuit vesci.

24. Dedi ipsi denuo Extracti cicutæ in pilulas redacti gr. xvj. bis de die sumenda.

Ægra tunc multo melius colorata erat, & sensim carnes ita renatæ sunt , ut medio Februarii corpus naturalem torositatem haberet, ventriculo quoque tam bene habebat , ut bubulam & alia duriora alimenta sine incommodo comederet: cumque nihil amplius præternaturale in Epigastrio quocunque modo

premeretur, deprehendi posset, cicuta abstinit.

6. Aprilis menstruorum fluxum habuit, quo caruerat toto tempore, quo apud nos fuerat, & 12. ad suos rediit sana.

C A S U S XXXIV.

Fæmina 35. annorum 20. Decembris anni 1752. ad nos venit. Aiebat infantem sex annorum, qui apud illam in lecto jacere solebat ante sex menses calcitrando pedem in mammam dextram valde impegisse: unde magnum dolorem perceperat, qui tamen applicato Emplastro, quod ab obstetrice acceperat, sensim lenitus fuerat: mamma autem mole increvit quotidie & indurata est.

Dum ad nosocomium accessit, in manna pars dura vere scirrhusa pugni mediocris virilis magnitudinis erat, fere immobilis, admodum dolorifica, & cutis illam tegens livebat: cæterum fæmina sana erat.

Statim primo die incepit cicuta uti: cujus Extracti Scr. j. bis de die pilularum forma sumpsit: externe fomentum & Emplastrum cicutæ more nobis in his casibus solito applicata sunt: licuit ipsi vitulina & aliis teneris carnibus vesci.

Per 13. dies in mamma nulla mutatio facta est, verum 14. die, qua cicuta utebatur, sive 2. Januarii anni 1763. dolores frequentiores & majores facti sunt, cum pulsu leniter febrili, quapropter præter cicutam Emulsum paregoricum ipsi datum est.

7. Januarii mamma multum intumuerat, & ad latus externum papillæ locus erat magis elevatus reliquo tumore mollior, in quo obscura fluctuatio percipiebatur: febris erat sat magna,

Abstinuit tunc ægra cicuta, & solis Emulis paregoricis usa est, & Diæta omiffis carnibus tantum ex cibis lenissimis, demul-

centibus præscripta fuit : externe vero nihil mutatum est.

Suppuratio celeris fuit : decima enim Januarii jam maxima pars mammæ mollis erat materia fluctuante plena ; dolores erant minores , & febris multum minuta: nihil tamen in methodo medendi mutatum est.

13. Mamma sponte ad latus externum papillæ aperta est , & magnam copiam puris tenuis, flavescentis, multis frustulis nigris fudit intermixti : remansit tamen ad latus internum papillæ pars dura ovi gallinacei magnitudine , & parietes ulceris gangræna nigrescebant ; in reliqua plaga suppurabat. Expertissimus Chirurgus fomento ex cortice Peruviano & herba cicutæ parato ulcus tunc deligavit.

Febris cessaverat , & dolores erant leves, ægra tamen a febre debilitata erat.

Præter Emulsum datum est ipsi sequens.

℞. Aq. Flor. Rhæad. unc. vj.
Extract. Cort. Peruv. unc. β
Syr. Diacod. unc. jρ β
Liquor. anod. Mineral. Scr. j.

S. omni trihorio duo cochlearia sumat.

Hac methodo ulcus sensim mundatum est, & 15. ejusdem Januarii in omni ambitu optimum pus conspiciebatur, usâ est tamen dicta mixtura ad 18. qua cum omnia boni coloris essent, & pars dura post reliquæ molis suppurationem relicta immutata maneret, denuo incepit bis de die Extracti cicutæ Scr. j. sumere, & solo cicutæ infuso & Emplastro deligari: Diæta mansit eadem ut ante.

Perrexit ægra bene habere, & durities relicta suppuratione sensim ita consumpta est, ut 2. Februarii tota mamma mollis esset, & ulceris labia jam ad se invicem inciperent accedere.

Omni medicamento abstinuit, & tantum bis de die linteis carptis decocto cicutæ imprægnatis desuper Emplastro cicutæ appposito ulcus deligabatur.

12. Cavitas ulceris omnino impleta erat, & in tota superficie rudimenta cicatricis conspiciebantur, unde solo tegebatur Emplastro Diapalmæ, quod servavit, quamdiu in nosocomio mansit, licet intra paucos dies cicatrix formata fuerit

13. Sumpsit Rhei. Elect. dr. j. & 14. licuit ipsi carnibus facilioris digestionis vesci, vires sensim increverunt, & torofitas tempore curæ amissa corpori restituta est.

24. Bubulam & alia difficilioris digestionis alimenta, cum alia appetitui satiando non sufficerent, incepit comedere.

Initio Martii fluxerunt menstrua, quibus caruerat toto curæ tempore, & brevi post nosocomio discessit: illam mense Aprili & Majo vidi optima sanitate gaudentem. Hanc

vidit

vidit Illustrissimus Præses in initio curæ eam quoque ad illum adduxi, dum Nosocomio egressa est.

C A S U S XXXV.

Puerum undecim annorum curandum accipi sexto mense a quo tinea fœdissima laborare inceperat.

Per sex hebdomadas varia efficacissima medicamenta ipsi sine effectu sumenda dedi, externe applicari iussi.

Ad Cicutæ Extractum demum deveni, cujus gr. XVI. mane & totidem vesperi quotidie sumpsit: dum simul bis de die decocto cicutæ caput lavaretur.

Hac methodo intra bimestre spatium tinea integre disparuit.

Puer toto curæ tempore omnes functiones optimas habuit; &, si quater datum lene purgans excipias, nullum aliud medicamentum ipsi administratum fuit.

C A S U S XXXVI.

Puerum novem circiter annorum mihi adduxit mater die Sabbati ante Pascha anni 1762. habebat ille duodecim glandulas tumidas, duras partim sub parte dextra & sinistra maxillæ inferioris & sub mento, partim etiam circum collum. Omnes, aiebat mater, jam ortas esse, dum puer quartum ageret ætatis annum: occupabant præterea jam a semi anno brachium finistrum duo tumores duri, lividi, ovi gallinacei magnitudine. Abdomen tumidum, durum erat; Puer emaciatuſ & coloris ex pallido flavescentis.

Prius sumpto leni purgante incepit bis de die Extracti Cicutæ gr. iv. fumere, & tumores diu noctuque emplastro Cicutæ tecti sunt.

Primo mense, quo Cicutuſ usus est, tumores brachii finistri suppurati sunt, & pus dilutum dederunt; abdomen paulisper collapsum

psum est, multo mollius evasit, & æger alacrior fuit.

Initio junii clausa erant ulcera per suppurationem tumorum brachii producta; bini alii tumores, unus nempe sub parte sinistra maxillæ inferioris & alter sub mento aperti, pus dederunt: reliqui vero immutati permanebant. Habebat tunc puer abdomen gracile, molle; colorem corporis naturalem; appetitum magnum; vires optimas & animum admodum hilarem.

Sic fuit per integros quatuor menses absque ulla tumorum colli mutatione, illis duobus folis exceptis, qui initio Julii aperti sunt: hos enim suppuratione consumptos optima cicatrix obduxit.

Circa medium Octobris incepit bis de Die Extracti Cicutæ gr. vi. sumere.

Perrexit æger optime quoad omnes functiones habere; initio Novembris advertimus tumores minus duos fieri, & molem illorum paulisper minui.

Da-

Datum est posthac omni 14^{to} die lene purgans & diebus intermediis usus est dicta Cicutæ dosi.

Duo ex residuis tumoribus sensim ita minuti sunt, ut initio Januarii anni 1763 resolutione penitus curati essent; in reliquis autem res admodum lente procedebat.

Dedi tunc puero Extracti Cicutæ gr. viii. bis de die sumenda: verum ab hac dosiangebatur, & ventriculo dolebat: unde ad priorē dosin redivimus, quam sine incommodo continuavit fumere.

Sensim ita minuti sunt omnes tumores, ut sub finem Martii vix tertiam prioris molis partem haberent: æger vero fastidiebat medicamenta, & illa coacti fuimus per aliquod tempus suspendere.

Initio Maji denuo incepit eandem medicamenti dosin fumere, sensimque ita collapsa est tumorum moles, ut in plerisque sub finem Julii tantum superesset pars dura fabæ magnitudine, in aliis paulo major. Co-

Comedit vero puer fructus horæos immaturos magna copia, unde valida diarrhœa laboravit, quæ omiffa Cicuta aptis medicamentis intra octo Dies penitus curata fuit.

Sub Finem Augusti prior Cicutæ dosis denuo ipsi data fuit, qua usus est usque ad initium hujus quem vivimus anni, semper optime habens: verum ulterior mutatio in tumoribus nulla facta est: cæterum puer sanissimus est, & pro ratione ætatis torosus.

C A S U S XXXVII

Fœmina 43. annorum 1^{ma} Octobris ad nos venit cum foedissimo cancro, mammam dextram occupante, quam ajebat a multis annis induratam, ante biennium incepisse dolere & circiter ab anno apertam in cancrum evasisse.

Fundebat paucam saniem, & ægra enormes dolores patiebatur; admodum emaciata erat & viribus exhausta; sæpe tussitabat, & subin-

de sputa flava ejiciebat; respiratio erat brevis, & ægra continuo supina in dorsum decumbere cogebatur.

In hoc desperatissimo casu ægræ ter de die Extracti Cicutæ gr. XVI. sumenda dedi, mollem diætam præscripsi & quotidie lactis mensuram semis cum decocto hordei hauriendam exhibui.

3. Octobris jam totus cancer pure optimo tectus erat: dolores multum leniti, respiratio major, & ægra copiosiora sputa expectorabat.

Binorum mensium spatio suppuratione ita consumptus est cancer, ut initio Decembris quintam prioris molis partem non superaret: dolores toto tempore tolerabiles fuerunt, & ægra, quæ ad nos venerat admodum tristis, & melancholica, spe futuræ sanitatis erecta, animi fat hilaris erat.

Pergebat tamen copiosa sputa ejicere, & vires non incresebant.

Extracto Cicutæ usa est ad Finem usque Decembris, quo tempore cum præteriti cancri vix vestigium conspiceretur, a Cicuta abstinuimus, & omni arte conati fuimus vires sustinere & erigere: verum omnia in cassum adhibita fuerunt & ægra 28. Januarii anni 1764. mortua est.

Aperto cadavere inventus est pulmo Sinister maxima parte durus & ulceribus plenus: dexter vero erat integre consumptus, & eam pectoris cavitatem aqua fusca replebat.

C A S U S XXXVIII

Juvenis 25. annorum sub finem Martii anni 1763. ad nos venit. Hic jam a pluribus mensibus artuum dolore noctu crescente laborabat, & fauces circum circa a lue venerea exulceratas habebat.

Dedi ipsi lene purgans, dein decoct. N. 26. exhibui intra biduum absumentum, & injectionibus ejusdem plantæ decocti bis terve per diem fauces elutæ sunt.

Post octiduum dolores multum remiserant & ulcera erant pura.

Sumpsit tunc æger decoct. N. 27. eo cum effectu, ut 8. Aprilis doloris expers, & ab exulceratione faucium penitus curatus ex Nosocomio discesserit.

Primis 15. diebus, quibus in Nosocomio fuit, diæta molli usus est; postea autem cibis etiam durioribus ipsi licuit vesci: toto curæ tempore functiones omnes bonæ fuerunt; licet præter Cicutæ decoctum administratum ipsi fuerit nihil, nisi lene purgans, quod tertia vice repetitum fuit.

C A S U S XXXIX.

Fœmina 28. annorum Gonorrhœa tam acri jam per quatuor menses laboraverat, ut pudenda inde admodum erosa essent.

3. Aprilis nos accessit, & sumpto prius leni purgante usa est decocto N. 26.

9. Urinam multo minori cum dolore mittebat, & ulcera erant minus dolentia.

Sensim omnia ita in melius mutata sunt ut 28. ulcera cicatrice obducta essent, ægra nullos amplius dolores perciperet, & materies mucosa minime acris tantum pauca quantitate ex pudendis efflueret.

Perrexit tamen decocto Cicutæ uti ad 8. Maji, qua vix de fluore albo quid supererat, & sumptis adhuc per octiduum lenioribus roborantibus perfectæ sanitati restituta ad labores rediit.

Quinques hæc sub usu Cicutæ purgans sumpsit, & optimum, quo antea carebat, appetitum recuperavit.

His duobus casibus similes multos habui, in quibus Cicutæ Extractum idem effecit, ac in his decoctum, quod ultimum tribus aliis fœminis eodem fere modo affectis æquali cum effectu exhibui.

C A S U S XXX.

Fœmina 40. annorum scorbutica jam ab anno ulcus in crure dextro habebat, multam saniem fundens, quod ita proserperat, ut, dum ad nos

II. Junii venit, a malleolo pedis externo ad mediam Suræ partem crus occuparet: margines profunde exesos habebat, & valde fordidum erat: ægra in artubus superioribus dolores conquerebatur & gingivæ facile sanguinem fundebant.

Dococto N. 25. statim incepit interne uti & ulcus simili fere ejusdem plantæ decocto deligatum est.

14. Jam ulcus mundum erat, & coloris subrubelli, verbo intra quinque hebdomadas ulcus optima cicatrice obductum est.

Disparuerunt artuum dolores; gingivæ colorem naturalem adeptæ sunt, nec ullum amplius sanguinem fuderunt, continuavit ta-

men

men cicutæ decocto uti ad finem Julii usque, & initio Augusti sana ad suos rediit.

C A S U S XXXXI.

Fœmina 23. annorum jam a vigesimo ætatis suæ anno inferiorem cruris sinistri partem tumidam, duram habuerat: mense Martio tempore puerperii tumor exulceratus est, crusque mole admodum increvit, & dum ad nos 22. Junii delata est, aiebat se jam per tres Menses ob magnos dolores & nimiam cruris, quod admodum durum & tumidum invenimus, molem lecto affixam fuisse: ulcus valde magnum fœtebat & fordidissimum erat.

Sumptis per quadriduum omni die folior. Cicutæ dr. ʒ. in decocto & fomento cicutæ quotidie bis terve deligato crure ulcus mundatum est nec ullum amplius fœtorem sparfit.

Dedi tunc ægræ folior. cicutæ dr. ʒ. in decocto quotidie absumendas, & perrexit expertissimus Chirurgus fomento cicutæ ulcus deligare.

Hac methodo quinque hebdomadarum spatio continuata, crus mollitiem naturalem acquisivit; disparuit tumor; ulcus coaluit; & ægra libero cruris usu gaudens, non multo post sanissima ex nosocomio discessit.

Plures similes ægros partim extracto cicutaë, partim ejusdem Plantæ decocto felicissime curavi: omnium autem historias referre lectori tædiosum foret: sufficiat mihi dixisse quod non meminerim me in talibus casibus cicutam adhibendo ni ossa corrupta fuerint, scopum non attigisse.

COROLLARIUM Primum.

Cicuta in tumoribus internis ab obstructione ortis & viscerum indurationibus secrete & egregio cum effectu datur, modo attentus sit medicus ad mutationes illius usum subsequentes: in externis enim tumoribus a suppuratione nihil metuimus, quæ, si interna sit, ni in tali loco fiat, ex quo per aliquod

quod emunctorium pus excerni queat, ægrum pessumdare potest: ergo ubi signa metum suppurationis internæ incutiunt, illam impedire debet medicus: sopita, si adsit, febris; interrupto per unum vel plures dies cicutæ usu &c.

Qui hoc modo cicutam in dictis casibus exhibebit ægris, proderit semper, nocebit nunquam, & sæpe casus omni alteri pharmaco indomabiles radicitus curabit.

COROLLARIUM Secundum.

Formicatio & levis dolor in tumore duro ante indolentem notat medicamentum ingressum & actionem in illum: si dolor intendatur, uturam suppurationem, subinde etiam cirrhosæ massæ secuturam, a sanis per gangrænam separationem indicat.

Quid, dum interni sunt illi tumores, in hoc casu agendum sit medico, dictum est corollario primo: in partibus vero externis vix

præcaveri debet suppuratio: multi enim tumores nequeunt resolutione curari, qui suppuratione fat cito consumuntur, & nullo modo cancer & durissimi scirrhi tam celeriter a sanis separantur, quam per gangrænam.

COROLLARIUM Tertium.

Sæpe tamen Scirrhi non admodum antiqui, & alii tumores duri, resolutione curantur.

In hoc casu, ubi cicuta tenax vascula infarciens attenuavit, & totum vel pro parte per vasa meabile reddidit, subinde datum purgans prodest, ni ipsa cicuta, ut quandoquæ fit, alvum leniter subducatur.

COROLLARIUM Quartum.

Vbi antivenereorum princeps Mercurius sublimatus corrosivus, in spiritu frumenti solutus ob nimium jam a lue venerea labefactata viscera exhiberi nequit, vel quando ægri illum non ferunt, cicuta efficax præbet medicamentum, dolores leniens, sopiens.

piensque, & ulcera sanans, & corpus teter-
rimo malo feliciter liberans.

COROLLARIUM Quintum.

Cicuta in primo, secundo & tertio Scor-
buti gradu egregiam opem fert; dum
tenax serum solvit, acre a compedibus libe-
rat, ac e corpore eliminat, vel illud aptum
reddit, ut per diluentia aut alia evacuantia e
corpore possit eliminari: hinc ulcera sanat &
omnia scorbuti symptomata lenit, ac simul
cum morbo extirpat.

COROLLARIUM Sextum

Cicuta circulationem liberiores & æqua-
liorem reddit; glutinosa enim & lenta
a quibus obstructions in minimis vasculis
oriuntur, attenuat, solvit & vascula aperit:
nec tamen sanguinem aggreditur, qui sub usu
cicutæ, etiam diu continuato, pristinas suas
qualitates integre servat.

COROLLARIUM Septimum.

In omni cancro salubris est cicutæ usus: si enim ob viscerum labem vel a nimia morbi diuturnitate viribus exhaustum Corpus, salutem perfectam adferre nequeat, dolores lenit, faniem rodentem in pus sæpe admodum blandum convertendo & sic morbum tolerabiliorem reddit, reliquosque vitæ dies magis tranquillos.

COROLLARIUM Octavum.

Gangræna, quantum huc usque observare potui, scirrhum & cancrum fere solum in juvenibus, vel saltem subjectis adhuc robustis, a sanis partibus separat.

COROLLARIUM Nonum.

Cicuta nullum respuit alimentum: valde acres tamen vel tenaces cibi copiose sumpti nocent.


COROLLARIUM Decimum.

Vinum bonum moderate sumptum prodest: nimia autem copia haustum omnia perturbat: dolores auget: suppurationem a cicuta productam supprimit, & ulcus exsiccat.

COROLLARIUM Undecimum.

In lue venerea, scorbuto & ulceribus venereis & scorbuticis &c. Folia cicutæ vase clauso per semi horam decocta optimo cum effectu, & æque secure ac Extractum ejusdem plantæ, exhiberi possunt: immo videntur etiam in Scirrho & Cancro æque efficacia ac ipsum Extractum: anam hoc credendi præbet mihi scæmina, quam cum pessimo cancro nasum occupante ad nostrum Nosocomium misit magnificus Störck & cui præter decoctum cicutæ nihil exhibui: in initio tantum omni die habuit Folior: dr. ʒ. ii. in colatura Lib. β. assumendas & 5. Die jam pus in omni superfi-

ficie `cancri conspiciebatur. Nunc vero Folior. Unc β . ad colaturæ unc. ix. jam per octiduum sumpsit absque minima in corpore excitata turba, & tanto cum effectu ut tertia cancri pars jam suppuratione consumpta fit.





FORMULÆ.

1. ℥. Rad. Althææ. unc. j.
Foliar. Althææ. M. j.
Consciff. coq. c. S. Q. aq p
 $\frac{1}{2}$ horam. Dein adde
Foliar. Veron. M. j.
Rad. Fœnicul. unc. j.
relinque in fervida digestio-
ne per $\frac{1}{4}$ horæ vase clauso
Calat. lib. ij. adde.
Oxymell. simpl. unc. ij.
— Squill. unc. j.
Stib. Diaphoret. ō. abl.
dr. j. β M.
S. omni bihorio unc. ij.
fumantur.
2. ℥. Semin. Melon. unc
ijj.
F. cum Aq. Hord. E-
mulsio.
Colat. lib. j. β adde
Sal. Polychr. dr. j.
Syr. Althææ. unc. j. β
M. S. omni bihorio unc.
ij. fumat.
3. ℥. Semin. Melon. unc
ij.
F. cum Aq. Hord. E-
mulsio.
Colat. lib. j. adde
- Syr. Diacod. unc. j.
M.
S. omni bihorio unc. j.
vel unc. ij fumantur.
4. ℥. Rob. sambuc. unc.
rv.
Sal. Polychr. dr. j.
Nitri. puri dr. β
M.
S. omni trihorio unc. β
5. ℥. Semin. Melon. unc
ijj.
F. cum Aq. Hord. E-
mulsio.
Colat. lib. j. β adde
Boli Armen. dr. vj.
Syr. Diacod. unc. ij.
M.
S. omni bihorio unc. ij.
fumat.
6. ℥. Rad. Sal. dr. ij.
Consciff. coq. per $\frac{1}{2}$
horam
Colat. lib. j. adde
Syr. Althææ. unc. j.
M.
S. omni trihorio unc.
ij. fumat.



7. ℥. Rad. Sal. unc. β
Coq. cum Aq. q. s. p.
¼ horam.
Colat. lib. j. adde
Laud. liq. Syd. gtt. xx.
Syr. Diacod. unc. j.
M.
S. omni trihorio unc.
ij.
8. ℥. Claret, fact. ex con-
serv.
Flor. cordial. lib. j
Syr. Diacod. unc. j. β
Spir. Sulphur. p. camp
q. s. ad gratiam.
M.
S. sumat æger omni bi-
horio vel trihorio duo co-
chlearia.
9. ℥. Folior. Alexandr.
dr. iv.
Flaved. Cortic. critri
dr. β
Sal. Polychr. dr. j. β
Mann. calabr. unc. j.
M. Infunde cum aq. fervid.
q. s. p. ¼ horam vase
clauso.
Colat. unc. iv. d. u.
10. ℥. Nitri puri dr. j.
Syr. Moror. unc. j.
Aq. Flor. Rhæad unc.
viij.
- M. S. omni bihorio vel
trihorio, unc. j. detur.
11. ℥. Stib. Diaphor. o abl.
dr. j. β
Oxymell. Squill. unc.
j. β
Aq. Hyssop. unc. viij.
- M. S. omni trihorio unc. j.
12. ℥. Sal. Polychr. dr. β
Syr. Rub. Idæi unc.
ij.
Rob. Ribesior. unc.
j. β
Vin. bon. Austriac.
unc. ij.
Decoct. Hord. lib. ij.
- M. S. omni bihorio unc.
j. β vel unc. ij. sumantur.
13. ℥. Camphor. gr. xx.
Mucilag. Gumm. trag.
dr. j.
in mortario vitreo te-
rendo subactis admisce.
Aq. Flor. Sambuc.
lib. j.
Syr. Diacod. unc. j.
Nitri Stib. dr. β
- M. S. omni bihorio unum
vel duo cochlearia.
14. ℥. Cortic. Peruvian.
unc. j.
Syr. Flor. Chamom.
unc. ij.
Aq.



- | | |
|---|---|
| <p>Aq. Flor. Sambuc. unc. xv.
 Vin. bon. Auftriac. unc. j. β
 M.
 S. omni bihorio unc. j. β
 vel unc. ij. sumantur.
 15. \mathcal{W}. Stib. Diaph. o alb. dr. j.
 Kerm Mineral. gr. xv.
 Sacchar. Candi. alb. unc. j.
 M. F. Pulv. tenuissimus.
 S. omni 3horio vel 4horio parvum cochleare.
 16. \mathcal{W}. Stib. Diaph. o abl. dr. j. β
 Kerm. Mineral. gr. x.
 M. F. Pulv. tenuissimus, cui exacte miscendo adde.
 Conserv. Fumar.
 — Nasturt. Aq.
 — Beccabung. aa. unc. ij.
 M. S. sumat omni bihorio duo parva cochlearia.
 17. \mathcal{W}. Camphor. gr. xv.
 Semin. Melon. unc. iij.
 F. cum Aq. Hord. L. A
 Emulsio
 Colat. lib. j. β adde
 Syr. Papav. alb. unc. j.
 M. S. omni trihorio unc. ij. dentur,</p> | <p>18. \mathcal{W}. Spir. Sulphr. p. Camp. dr. j.
 Aq. Flor. Rhæad. lib. j.
 Syr. Papav. alb. unc. j. β
 M. S. omni 3borio unum vel duo cochlearia.
 19. \mathcal{W}. Rad. gramin. — Taraxaci aa. unc. vij.
 Consciff. coq. cum aq. q. s. per horam Colat. fortiter express. unc. xx. adde
 Syr. Fumar. unc. ij.
 Sal. Polychr. unc. β
 Spir. Nitri. dulc. dr. j.
 M. S. omni trihorio unc. ij. sumantur.
 20. \mathcal{W}. Herb. Mercurial m. j. β
 Folior. Alexandr. dr. iij.
 Coq. cum aq. q. s. p. $\frac{1}{4}$ horam vase clauso. Colat. lib. j. β
 adde Sal. polychr. dr. ij.
 Syr. Rosar. solut. unc. j. β
 Spir. Nitri dulc. gtt. xx.
 M.
 S. omni trihorio unc. ij. sumantur.</p> |
|---|---|



21. ℞, Stipit. Dulcamar. unc. ij.
leviter contusos infunde cum aq. fervid. p. $\frac{1}{4}$ horam, sub finem momento ebulliant.
Colat. lib. j. β adde.
Oxymel. simpl.
Mell. Pector. aa. unc. j.
M. S. omni bihorio unc. j. vel unc. j. β sumatur.
22. ℞. Scammon.
Resin Jalap. aa. gr. v.
Mafs. Pilul. Extract. Cathol. gr. x.
Spir. vin. q. s.
M. F. Pilul. N. vj.
S. mane omnes sumat.
23. ℞. Rhei elect. dr. β
Scammon. gr. viij.
Sal. Polychr. gr. x.
Ol. Stillat. Fœnicul. gtt. j.
M. F. Pulv. mane sumendus.
24. ℞. Rad. Jalap. scr. j.
Resin. Jalap. gr. ij.
Sal Polychr.
Sacchar. alb. aa. gr. x.
M. F. Pulv. mane sumendus.
25. ℞. Sal. Polychr. dr. j.
Conserv. Nastaq. unc. v.
M. S. quater vel quinquies per diem sumat unc. β
26. ℞. Folior. cicut. unc. β
Coq. p. $\frac{1}{2}$ horam cum aq. q. s. vase clauso.
Colat. lib. j. adde.
Syr Althææ. unc. j.
M.
S. quater de die sumat unc. j. β
27. ℞. Folior. Cicut. dr. vj.
Coq. cum aq. q. s. p. $\frac{1}{4}$ horam vase clauso.
Colat. lib. j. adde.
Syr. Althææ vel Diacod. unc. j.
M. S. usus ut prioris.



